


del Dottore
F. Sanseverо





SANCTORII SANCTORII

JUSTINOPOLITANI DOCTORIS MEDICI, ET MEDICINÆ OLIM PROFESSORIS PRIMARII IN LYCÆO PATAVINO

DE MEDICINA STATICA APHORISMI.

Commentaria, notasque addidit

A. C. LORRY.





NEAPOLI MDCCLXXXIV.

APUD VINCENTIUM URSINUM
Expensis Josephi de Lieto.

Superiorum permissu.

ANTONIO VILLARI

VIRO INTER MEDICORUM FILIOS
SATIS SPECTATO

**ELEGANTIORUM DISCIPLINARUM CULTORI
STUDIOSISSIMO,**





LAudabilis fuit ab antiquis ducta temporibus consuetudo, ut si qua doctarum mentium lucubratio publicæ luci aliquando traderetur, aut eadem iterum for-

forte edenda esset, Patronus quis adsciscí soleret, tum ut ex hujus dignitate debita laus operi compararetur, tum ne dente illud maledico carperetur, aut male feriatorum invidiam subiret. Qua de re in operis nuncupatione duo omnino præstanda, ut & merita probatione dignum censeatur, quod dedicetur, & is, cui sistitur, famæ celebritate emineat, justusque rerum æstimator sit. Jam vero opus undique laudibus exceptum, iterumque, quum perrarum ob ejus præstantiam factum sit, recudendum, *Sanctorii Sanctorii De Medicina Statica Aphorismi*, NOMINI TUO dico. Latera sane me deficerent, si ejus laudes, quibus ubique Europa personat, percensere tantum vellem. Enim vero Auctor hic, eximium patriæ decus, postquam annos plures in Academia

Pa-

Paravina docendo inter plausus insumsit, *Librum hunc* Arabum gazis pretiosiorem typis mandavit, ubi *de insensibili perspiratione* argumentum novum prorsus apud tunc temporis Medicos per Aphorismos, antiquorum more, adeo distincte eleganterque percurrit, ut mirati omnes fuerint, quod rem tam subtilem atque involutam tanta judicii soliditate, luculentoque sermone, omnia ad calculum exigens peregerit. TIBI vero maxime tantum Opus, ANTONI VILLARI, dicandum erat, TIBI inquam, qui rei medicæ reconditiora calles, qui, experientia duce, cuncta comprobas, cujus demum studiis universa, quæ Auctor scripsit, pulchre mireque congruunt. Porro id non ea mente a me factum, VIR BENE DE ME MERENTISSIME, ut vel minimum nominibus illis, qui-

bus

bus TIBI teneor, exſolvar; ſed ut animi mei gratum potius judicium accipias. Vale, & munus non pro dicantis perſona, ſed propter Auctoris nomen acceptum habeas. Neapoli poſtridie Idus Januarii 1784.

Nomini Tuo Devotiſſimus
Joſeph de Lieto

ILLUSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO

GYMNASII PATAVINI
MODERATORI
NICOLAO CONTARENO
SENATORI AMPLISSIMO
SANCTORIUS SANCTORIUS.

DIU mecum cogitavi, & animum diversimode distractum habui, Illustrissime Contarene, an hæc nostra Ars Statica, nova quidem, & ante me a nemine tacta, in lucem esset promenda? Undique erant mihi efficacissimæ rationes, quæ me varie exagitabant: ex una parte erat imperitorum, & malevolorum hominum magna acies, qui vel nova improbantes, vel subtilia non intelligentes, hanc artem, divinam licet, damnaturi essent: alia vero ex parte hæc me impellebant, amicorum interpellatio, & res ipsa innumeris experimentis confirmata: sed mihi humanius videbatur hujusmodi arcana in usum hominum potius expromere, quam suppressa, interque privatos detenta parietes quasi sepulta continere; Etenim majorem laudem semper meriti fuerunt, qui præclaros artis fructus aliis sunt impertiti, quam qui domi occultatos tenuere. Adhuc tamen supererant angustiæ, si in hoc partu caruissem celebratissimo defensore, qui nominis splendore, eximia virtute, miroque etiam erga me amore esset affectus. Tu ille es, qui splendore, & auctoritate præfulges, a cujus consilio, & prudentia Reipubl. negotia summa cum

cum nominis tui immortalitate dependent; Qui Reipubl. administrationem cum studiis scientiarum omnium conjunxisti, quod inter cætera tua admiranda demonstrant præclara illa tua monumenta Historiarum, nec non de Cive, quæ in tuo Musæolo abdita inter quamplurimas alias tuas divinas lucubrationes publicæ literatorum utilitati præripis, eorum autem editionem, ac usum omnes maximo affectu, summaque aviditate anhelamus: Tu ille es, qui me a primis studiorum exordiis in fidem, ac tutelam tuam recepisti, quadragintaque annorum fere curriculo usque ad hodiernum diem amore prosecutus es; unde singulari tuæ benevolentiæ, ac gratiæ accepta refero innumera beneficia tum meo, tum amicorum nomine impetrata. Accipe hanc igitur, Senator Amplissime, quam multorum annorum cursu peperi, fœturam; eamque, qua polles auctoritate contra protervam Zoilorum catervam pro summa tua humanitate tueri, & perpetuo defendere non desinas.



PRÆFATIO
EDITORIS.

ILLARUM omnium Artium, quæ a naturæ contemplatione oriuntur, exordia infirmis primum, atque exilibus niti fundamentis, in tanta ingenii humani tenuitate, necesse est. Paulatim vero moles firmior assurgit, dum usus nova meditando extundit veritatum semina, novaque ipsis addit ornamenta. Tandem per longam experimentorum, atque observationum seriem, speciosa rerum panduntur, & evolvuntur miracula; perpetuoque naturæ contemplatoribus nascitur laborum argumentum, specie pulcherrimum, varietate uberri-

mum, utilitate maxime conſpicuum.

Quæ ergo artes ætate poſteriores ſunt, eas etiam minus firmas eſſe, rerum ordo poſtulat, errorique magis obnoxias, ipſa eas ſua facit novitas: ſi præſertim arduum, & præceps fuerit, quod ad veri fontes deducit parum cautos, iter invium, & hæſitantes falsa deludat imagine ſpecies veri effica, & mendax. Nulla alia in arte tot vepres evellendi, tot ſuperandi ſcopuli, tot meatus extricandi repperiuntur, quot in Sanctoriana de Perſpiratione inſenſili doctrina. Summe enim variabilis corporum perſpirantium conditio, quibuſcumque impellentibus cauſis cedit, & ab iis abripitur; tum congeries immenſa cauſarum, hinc & inde irruentium, vix numerandam effectuum farraginem producit, & ingenerat.

Fœliciori ſucceſſu, nuperrimis temporibus, de vegetantium perſpiratione inſtituta fuere experimenta. Vix enim ulla de cauſis quibus perpetuo mutantur animalia, firmiorem vegetabilium organiſmum attingit. Illa e ſolo nata, & in

& in ipso enutrita solius athmosphæræ reguntur arbitrio. Nulla in iis captanda occasio, nullum aucupandum variabilis ingenii punctum versatile. Sed evidentes fervoris in aere, humiditatis, aut frigoris mutationes, ad vegetantis pondus vel auctum, vel imminutum collatæ, docent quantum diu exhalando ponderis amittant vegetantia, quantum noctu inhalando recuperent. Hic est illis simplex nutritionis mechanismus. Hinc frondes quotannis explicant, hinc prolem educant, & alunt, uni loco addicta, uni aeri obsequiosa.

Verum in mobilibus animalium organis longe aliter se res habet. Illa enim tot rerum imperiis vexantur. Nec moram, nec requiem sinunt incidentes undequaque causæ. Nunc ea motus exercet, nunc vexat fames, sitis torquet, urit cupido, terror exanimat; quæ omnes causæ nunc huc, nunc illuc, susdeque versant, sive insidiis illudant, sive vehementia frangant, sive exsuperent pervicacia. Hinc in ancipitibus utriusque regni limitibus, quo magis

ad immobilem, & uniformem vegetantium vitam accedunt animantium species, eo etiam simpliciores, & captandis experimentis sese præbent faciliores.

At homo ad sublimiora natus, quantum præcellenti sensus acumine cœtera animantium genera antecellit, tantum etiam externarum causarum impressiones sentit acutius, & earum impulsibus patet apertius. Hinc vitæ toto ordine disconvenit, mutatur in horas, ad omnia versatilis, & sibi semper tum animo, tum corpore dissimilis. Qui vero tam variabiles eventus in calculos deducere tentaverit, & in re summe mobili immobilia statuere corollaria, nihilo plus agat, quam si dederit operam, ut cum ratione insaniat.

Veniam ergo posteris concesserit Sanctorius ipse, si dum inventoris venerantur audaciam, rerum observatione freti recedunt ab ipso; cum prætervi-derit multa, deceptus in paucis, campumque, experimentis ad lancem æquam revocandis, apertum reliquerit.

Sic

Sic nihil est adeo evidenter demonstratum atque inhalatio, & absorptio corpusculorum per aera volitantium. Ipse prodit in urinis violæ æmulus odor, quantum a parietibus oleo terebinthinæ odorifero obductis, inhalemus. Hanc prætervidit Sanctorius. Nec mirum si potentes ejus effectus parum senserit; nondum enim innotuerat admiranda illa aquæ in vapores solutæ ad penetrandum undequaque efficacia, & elastica vis, quam sibi ex atmosphæræ commercio adscire valet. Sed rapidos ejus effectus facile pro demonstratis habebunt, qui humido in aere versari non possunt, aut uvida tractare lintea, floresve roscidos, quin aut ipsos gravis coryza corripiat illico, aut anxios reddat subita suffocatio: quæ symptomata eadem celeritate tollit, aut foci accensi virtus, aut solis irradiatio: sin minus, post multas, variasque horripilationis, & discurrentis undequaque frigoris vices, pondus inutile auferet urinæ vis ingens, aliquando perspirationi diurnæ æqualis, imo eam

quandoque exſuperans.

Hæc omnia cum perſpirationis ſubita vi retropulſæ effectibus forſan confundi poſſint, verum in numeroſis quæ circa humidioris athmoſphæræ effectus tentavere experimentis & J. Linings, & Lionel's Charmer nulla erroris circa abſorptionem nota metuenda eſt. Ubi enim intra unius horæ ſpatium, experimento in J. Linings capto Carolinæ meridionalis in aere, atmoſphæra ſub humida ad unius libræ pondus moles corporis increverat, afflatam ab aere externo aquam difficile eſt non admittere, cum præſertim a ſiccioris atmoſphæræ halitu pondus illud intra idem tempus fuerit diſcuſſum. Nec utile eſt longius hic tot inhalationum exempla excitare, quæ doctiſſimi Simſonus, & Kaw Boerrhaave congeſſere. Nondum tamen ſcimus adhuc ipſius inhalationis leges ſtatuere, & enodare, qua ratione fiat, ut ſpretum ſæpe ſæpius contagium, ipsa ſua ſecuros, & imprudentes fælicitate, aliquando opprimat, quos nondum valuerat attingere. Plu-

Plurima quidem circa aeris in perspirabile corpus actionem sagax detexerat Sanctorius : latent tamen adhuc multa accuratius perpendenda , imo & nondum intellecta . Quid agat in perspirationem humorum , dicam , an spirituum subtiliorum , athmosphæra electricitate actuosa , aut fulgurans illa , nimbisque nigricantibus horrida ? Sæpe teneris corporibus præsaga vis inesse videretur , antequam vel Barometri fidem possemus advocare . Nec dissentient podagrici , aut artubus per Chirurgiam trunci . Ne loquar hic de vix refellendis R. Mead observatis circa solis defectus , aut lunæ labores , qui corporum animalium tubulis novas inferunt formas , & proprietates illorum immutare valent .

Verum , ut a reconditis ad aperta maxime deferamur , nulla materies *in Physicis* adeo tractata , adeo observatione deprehensa , quam caloris , atque frigoris ad corpus nostrum correlatio . Nec tamen licet adhuc salubres , aut vitales utriusque limites assignare . Sic ad ul-

ultimas Siberiæ glacialis oras, Physices amore devectus Gmelinus annotavit ad 55. infra glaciale punctum Thermometri Fahreinetiani saniffima vivere animalia eadem, quæ in clementiori Germaniæ cœlo paucis post o. infra glaciale idem punctum gradibus, animam in campis præ frigore relinquerent. Alia ex parte, experimento, quod nullus error possit mendosum facere, demonstravit magnus Boerrhaavius, vix per pauca temporis minuta ullum animal posse ætherea frui aura in aere, quem calor ad 90. gradum ejusdem Thermometri facit æstuantem. Verum Astracani Doctissimus Medicus Lerchius vidit aerem salubriter inspirari, quem exureret gradus 110. calore scilicet atmosphæræ ad hunc gradum paulatim increscente. Imo quotidianum est assuetis Russiæ incolis Thermas ingredi, quæ ad gradum 105, & 108, incalescunt; ibi delicias illi quærunt, & natalia discutiunt frigora. Incautum tamen Di Chappe servulum calor idem pene exstinxerat. Quid plura? Similia exempla

pla caloris salubriter immodici in actis Acad. Parisinis reperire est. Nec mirum, cum salubrem in Senegallia calorem athmosphæræ ad gradum 39. Thermometri Reaumuriani statuerit Cl. Adanson nostris in regionibus fere lethalem.

Ad subtiliorem Physicæ fibrarum sensilium structuræ intuitum, pertinent effectus enormes assuefactionis illius, quæ in habitum tracta corpus sibi fingit, sibi aptat, atque accommodat, novamque ipsi naturæ formam afflat, & conditionem.

Ipsius nulla in vegetantium, atque corporum, quæ mechanico tantum reguntur organismo naturam, potestas, aut efficacia. At in animalibus si a teneris imbuta fuerint corpora, in sanitatem ipsa vertitur, & inter species easdem maxima inducit discrimina. At in nullo alio genere adeo potenter machinationum, mores, institutum immutat, atque in homine. Hic, cum cœtera fere omnia animalia patriam sibi delegerint, extra cujus limites aut fæliciter vi-

vivere non valent, aut generandi facultatem amittunt, solus in omnibus, ad quas solis radii pertingunt, oris habitabilibus, vivit, viget, numerosam edit prolem, patriamque, & propinquos charitate prosequitur, doliturus, si ad alias etiam meliores terras, exul amandetur; ita tamen ut quas ab enormi cœli diversitate assumit differentiæ, non genus, non speciem mutent, sed leves tantum in specie varietates inurant. Quantum porro in perspirationis copia abludere inter se debent, aut ultimi hominum Geloni, Boreali concreti frigore, aut impendentis solis fervore perusti Æthiopes? Hinc salubriter cutim, nudosque artus vernicis in morem, oleo inungit putidissimus Hottentotes, illinc rubore obducto terribilem sese præstare tentat pictus Caraiba. Nec hunc, aut illum ab avito more dimoveas. Aliis institutum est recens natos infantes gelidissimis immergere fluminibus, aut in nive provolvere. Nos tepore camerarum male cauti tuemur, atque protegimus tenella

na-

nascentium corporum stamina. At omnibus benigniori Natura mater indulgentia consulit; crescuntque omnes æque salubriter. Scilicet viget intus vis actuosa, & per conjuratos artus diffusa, quæ moduli non unius capax, regit omnia, & scopum attingit felicissime. Ut enim calor ille, quem innatum veteres vocavere, per universum corporis ambitum æqualis ad Thermometrum reperitur in vestitis corporibus, sive rigescat bruma sævior, sive campos exurat sitientes Syrius, dum aeris calorem supplet nunc vis intima, nunc contra ipsi quasi cedit, ita præcipuæ corporis functiones belle, at novo ordine procedunt, sub mutatione quavis perseverante. Insignior sola differentia in secretionum ubertate, & forma quærenda est, quatenus altera alteram excipit, sibique invicem supplent amice. Quæ quidem mutationes ubi sensim sine sensu fiunt, cum latissime possint extendi, nihil est e rebus, quæ in hominem agunt, cui non possit tandem assuescere, nisi causticum illud fuerit, & plane *deleterium*:

qualia sunt vera, re, & nomine nuncupanda, venena; ita ut, inter exempla, quæ circa habitus inducendos afferri solent, & circumferri, nihil fere possit negari, præter vulgatissimam de Mithridate fabellam, quæ Physices legibus repugnat omnino, licet omnium pene authorum fidem sibi extorserit.

Quantum ergo ab integra, & absoluta de Pespiratione doctrina longe adhuc absimus, ex his facile est intelligere. An non igitur melius foret, infantem recens natum ad experimenta seligere? Hunc nulli corporis labores deturpant, hunc nulli affectus animi exasperant, hunc victus enutrit simplex, lacteus, uniformis. Verum attento observatori mirum videbitur, quantum perspirabilis hac in ætate humor ab adultorum perspiratione discrepet. Superficies corporis infantilis tota, lacte vix mutato turgida, illud redolet, & quasi exstillat. Superat humor ille in tenellis corporibus, & sæpe ad cutim in lamellas acescentes, & quasi caseosas concrescit. Interea urinæ acredinem

nem omnem intus vitæ actione natam eluunt; ipsæque acerrimæ halitu nares pungunt vellicanti, & catheteribus argenteis maculas difficile eluendas imprimunt alte. Omnes hæ in adultis prorsus mutantur formæ: rursusque ætate senili nihil nisi tenuissimum excrementum erumpit per arida, rigida, & fere ossea cutis flaccidioris spiracula. Hinc partes humorum antea perspirabilium crassiores exundant undequaque, sputaminum, glutinum, pituitæ crassæ, lemosæ, indivulsæ nomine. Hinc patet, nullam esse inter hominum ætates perspirationis paritatem.

Quid jam hic eamdem Perspirationis proportionem quæramus, aut indolem eamdem in podagricis, & illis quibus aer ille nondum fixus sub flatuum nomine, sævissimos arthritidis paroxysmos invehit, quibus addensatur tandem, & cretam in animalem concrescit? Quantum mutata est perspirabilis humoris ubertas, in hypocondriacis, & hystericis, quæ libras quinque, aut sex urinarum intra parvulum temporis in-

ter-

tervallum profundunt; cutis interea illis exſucca, & arida, ſpeculis vel nitidiſſimis appoſita, nullam ipſis imprimit maculam. Cætera de genere hoc exempla afferre, & ponderata ſeorſim expendere, difficile eſt, & inutile: ſed omnia hæc novis laboribus campum ſufficiunt, ita ut in arte ſtatica dici poſſit, labori fabrum prius defuturum, quam fabro laboris materiem.

Artem ergo illam quicumque patienter ſectari voluerit, materiem non omnem ſuſcipiet exhauriendam. Sed nunc electriſato corpori ſtateram apponet, videbitque quantum perſpirationi faveant efluxus illi materiei illius per univerſum totius globi ambitum diffuſæ inæqualiter, & corpora penetrantis: nunc expendet quantum vomitus, quantum alvi fluxus volatilis humoris divertant. Norunt equiſones, antimonii præparata equis propinata ſordes ad cutim ita accumulare, ut multo plus illarum ab ipſorum corporibus ſtrigilis deradat. Potu illo enormi, quo plures apud nos hodierno præjudi-

judicio abutuntur, quantum vitiatur coctio, tantum & flaccescit perspiratio; urinæ interea summopere augentur, plaudente sibi ignarorum levitate. Cutis, post variolas copiosissimas, cicatricibus horrida, perspiratoriisque vasis occlusis arida, vix aliquid sinit avolare. Hinc inflatio pedum, vultus, manuum, crurum, imo & femorum tumores, erysipelata: Quantum inde perspirationi decedat, utinam statera exploratrix nos edoceat. Fere omnibus ab ætate vigente ad decrepitam senectutem decumbentibus, cutis vitiatur, fœdatur. Impetigines, lepræ, prurigines molestæ, cutis nitorem adulterant. Eadem symptomata, sed forma dissimili, impuberes ad venerem nondum maturos exagitant, & vim novam prænuntiant. Glandularum turgescentium, seseque explicantium, systema tunc infertur, in corpore, potentiarum hucusque latentium, quæ mox actionem vividissimam exerent? Quanta tunc certe ad stateram forent perpendenda, ac ponderanda? Dantur ne etiam in rerum na-

tura ſubſtantiæ, quarum aliæ corpori applicatæ, & in illud per os, & inteſtina admiſſæ, calorem ſubita actione temperent, & frigus ad thermometrum inducant; aliæ contra ſubito calorem ingenerent? Rem & ad Medicinam, & ad Phyſicen corporis ſane maxime momentoſam, experimentis fretus crediderim? Quibus omnibus indagandis, ut facilior pateat aditus, ſimulque Hippocraticæ doctrinæ cum recentiorum inventis concordia plenius eniteat, placuit novam Aphoriſmis Sanctorianis lucem ex novis experimentis, & obſervatis medicis repetitam, pro virium imbecillitate afferre, brevi, & non ſine labore nato volumine: mox ſparſa nuperiorum authorum experimenta altero volumine collecturus, ſi vitam dederit, & otium Deus, ſi benignis & conſiliis, & auxiliis adjuvare non renuerit laboris hujuſce mei fautor, & particeps, eximius collega Deſeſſartz, cui plurima debere me, tum in erroribus ſevere reprehendendis, tum in novis ſuppeditandis luminibus, fateor lubentiſſime.

AD

AD LECTOREM
SANCTORIUS.

Novum, atque inauditum est in Medicina, posse quempiam ad exactam perspirationis insensibilis ponderationem pervenire, nec quisquam Philosophorum, nec Medicorum unquam hanc Medicæ facultatis particulam aggredi ausus est: Ego vero primus periculum feci, (nisi me fallat genius) artem ratione, & triginta annorum experientia ad perfectionem deduxi, quam consultius judicavi doctrina Aphoristica, quam Diexodica describere: primo ad imitationem magni nostri Dictatoris, cujus vestigiis insistere gloriosum semper duxi; deinde id feci quasi necessitate impulsus, quandoquidem ipsa experimenta, quibus quotidie assiduis multorum annorum studiis incumbebam, ita me ad hanc doctrinæ formam Aphoristicam manu quasi ducebant, ut Aphorismos optime inter se connexos miro hoc ordine digesserim, eo plane modo, quo apes primum mel ex variis floribus delibant, & deinde in apiariis per ædicularum suarum favos elaboratum miro ordine disponunt.


De utilitate autem artis nihil dicam, cum nemini lateat, quantum in medendo ponderis habeat insensibilis perspirationis cognitio: solum hoc unicum benignum Lectorem admoni-

 tum

tum vetim, cum sic se ferant res humanæ, ut res novas invidia opprimere potius, quam studio illas promovere conentur, scio, multos non solum vulgares, sed etiam ex literatorum censu, non veritatis amore ductos, sed ambitionis œstro, aut vana contradicendi libidine, aut invidiæ stimulo impulsos, contra artem hanc novam insurrecturos, eamque graviter detrectaturos esse, licet ne nomine quidemtenus artem ipsam salutaverint: Verum illis omnibus, si veritatem sectari desiderant, ita satisfaciam, ut veritatem ipsam sinceram, ac puram non solum animo, & intellectu percipiant, sed oculis etiam, ac ipsis quasi manibus palpent, si modo, quæcumque de insensibilis perspirationis ponderatione, deque ejus causis, de tempore, de commodis, & incommodis, de excessu, & defectu, de aere, cibis, & potibus, & aliis sex rebus nonnaturalibus impedientibus, vel promoventibus perspirationem, & quæcunque alia in hoc libro tradidi, ea ad rigorosæ trutinæ examen revocent.

Neque fastuoso supercilio hanc trutinam parvi faciant, vel contra præstantissimam artem inania sciolorum more deblaterent, quippe eos non alio responso dignos putabo, quam postica illa Persii sanna, qui, Andabatarum more cæcutientes, veritatem mordicus perosi, non sese Eubæos solum, aut Cordubenses in percipienda veritate, sed ineptissimos Aristarchos in reprehendenda demonstrant.

SE-




SECTIO I.

De Ponderatione corporum ad Perspirationis copiam detegendam.



INTRODUCTIO.



JAMDUDUM grandævis naturæ observatoribus, perspectum satis fuerat, & intellectum, corpora animalium pertusa, & pervia undequaque, non conspicuo tantum rore aliquando humescere, sed semper tenuissimum, & oculos fugientem emittere halitum, qui tum universales naturæ animalis qualitates, tum proprias cuique & speciei, & individuo ex-

primeret, & contineret. Inde odora canum vis in media hominum turba heros agnoſcit, & feræ ſemper ejuſdem rimando, ſectatur veſtigia.

Nec minus inhalari ab animalium corpore accitas a vicinis corporibus, ſuperincumbentis aeris auxilio, atomos, infelicia docuere contagia. Ab iis vero vel maxime intimos corporis receſſus penetrari, efficacia epithematum, vaporumque mercurialium, extra dubitationis aleam poſuit.

Altiori vero meditatione corporis & fabricam, & facultates introſpiciens Hippocrates, mutua hæc effluviorum, & inhalationum officia, ab externis ad interna, & ad ipſa vaſorum, viſcerum, meatuum cava, tranſtulit. Scilicet inde affluere, illinc abſorberi non halitus tantum, ſed & ipſam humorum molem agnovit, unde ſanarentur contuſa, criſes, atque metaſtaſes fierent. Eximia hæc artis noſtræ conditoris dogmata ad recentioris theoriæ jubar expreſſa, noviſſe qui voluerit, conſulat ſummi viri Abr. Kaw. Boerrhaave (de Perſpiratione Hippocrati dicta) opus eximium.

Ab illa obſervatione, ſed multo magis ab ipſo corporis ſenſu deducta ſunt famoſa illa apud veteres vocabula, quibus corpus, deficiente alacritate, & ad actiones facilitate, grave dicebatur. Enimvero quoties ad actiones ſentimur minus habiles, quoties nos

ip-

ipſum vitæ exercitium gravat, corpus ſeſe laborare, triſtiſſimo ſenſu ponderis, experitur; hinc, ſi per totum corpus diffundatur cauſa mali, crura, brachia, ponderoſa fiunt, caput ipſum præ pondere demittitur, fatiſcit, labitur. Si pars aliqua labem in ſe ſuſceperit, gravat illa, & toti corpori præ pondere importuna evadit. Pondus illud primævis medicinæ præceptoribus pro certiſſimo inſtantis morbi ſigno habitum, in ipſa tamen nondum culpabili ſanitate, ſæpius ſe ſentiri ſinit, quoties nos & nobis, & aliis minus jucundos, & ad conſueta vitæ officia negligentiores facit vel triſtis animi affectus, vel coctionis languor, vel a non naturalibus quibuſcumque cauſis repetenda excuſatio. Sic, flante auſtro, corpora experimur graviora, ſic ſub ſicca, & frigida Boreæ aura leviores, alacres ſumus, imo, etiamſi dicere fas eſt, ad grandia capeſcenda audaciores.

Nec difficile eſt inde intelligere, quæ dici debeant graviora cibaria? quid ſit ſeſe cibo gravare? cur quod uni grave eſt, alteri poſſit dici leve? cum non impreſſio tantum corporis in noſtram agentis machinam numerari, & ſupputari debeat, ſed etiam ipſa machinæ vis actuoſa, imo & reſiſtentiæ robur in trutina debeant expendi. Nec minus inde obſervator attentus nanciſcetur artem, qua gravitati nunc tollendæ, nunc adaugendæ, nunc moderandæ, invigilant Me-

 di-

dicinæ proceres, Hippocrates, Theophraſtus (*a*), Galenus, Aetius, aliique complures, qua quidem in arte tota recumbit adhibendorum vacuantium doctrina. Sed his nunc immorari a propoſito alienum prorſus foret, ad perſpirationis uberiorem doctrinam properantibus.

Huc uſque dogmata hæc ſenſu ſolo judice nitebantur, cujus in machina quam ſenſus regit, atque imperio premit, maximum eſt momentum. Nec ullus mortalium rem aliter expendi poſſe crediderat ante Nicolaum de *Cusa*, qui rariſſimo de ſtaticis experimentis dialogo, anno 1550. (*b*) de corporis humani ponderatione fuse egit, & maxima medicis ſpondet commoda, ſi ſenſilia, inſenſiliaque excrementa velint ad ſtateram expendere.

Hic Sanctorio viam indicaſſe videri poteſt, ſed non ſtraviſſe quam dumis, & vepribus obſitam ſenſit, ſed non ſubiit. (*c*)

Sanctorius vero, ſive ut ſeipſum vocat, Sanctorius Sanctorius, aut de Sanctoriis, medicus, & philoſophus Juſtinopolitanus quinquaginta annis Cuſæ poſterior, famam ſibi quæ-

(a) *V. Biblioth. Photii in tract.* de ſudoribus.

(b) *Argentorati apud Knoblochium ad calcem Vitruvii per Georg. Machæropæium.*

(c) *Plura ſimiliter alia meditata Nautis, & Mathematicis objecit ſolvenda, tentanda, experienda, quæ, dum ſagacius odoratur, negligentius deſerit.*

quæſivit multiplici doctrinæ genere; acer in evellendis priſcorum dogmatum erroribus, & legitima methodo medendi ſtatuenda, Hippocraticaque arte doctiſſimus. Verum inter pene inanem tot authorum turbam ſtetiſſet, ſi non tentaminibus novis, & inveniendi ſtudio ab hominum ingeniis tunc prætermodum alieno, omnium in ſe convertiſſet oculos, beneficiiſque æternum memorandis, ſibi devinxiſſet humanitatem.

Is enim primus thermometrum invenit, & ad uſus hominum ita applicavit, dum febrilem metitur calorem, ut omnia rarefactionis phænomena videatur calluiſſe, & rei novitate ſtupentes, docuiſſe. Imo fixum, a quo cæteros metiretur, gradum propoſuit primus. Sed nulla alia arte evaſit illuſtrior, quam ſtatica medicina, qua gravitatem, atque levitatem corporum viventium, ad ſervandam ſanitatem metiri docuit inſcios, & nil tale meditantes.

Hic enim mira patientia, dixerim an pervicacia, per numeroſam annorum ſeriem, maximam vitæ partem in ſella ad ſtateram Romanam librata tranſegit, ponderatis ſeorſum excrementis, quæ ſenſilia e corpore emitterentur. Hinc ſpecioſa depromſit rerum miracula, inter inventores vere colendus, cujus a laboribus ars prorſus nova affulſit.

Naſcentem hunc novæ veritatis fontem obruere conatus eſt, vivo adhuc authore,

Obicius, qui libello, quem Statico-mastyx nuncupavit & in artem, & in authorem jecit convicia, quæ vel ipsa refellit authoris levior imprudentia. At melioribus excepta ingeniis authoris nostri experimenta, fructus tulere uberrimos. Hujus enim vestigia pressit, sed negligentius J. Keill Northamptoni Angliæ oppido ad 51. latitudinis gradum jacenti, medicus mechanicis, & mechanico-medicis laboribus illustris. Imo si quibusdam Anglicis scriptoribus credere fas est, plura in seipso hujus in doctrinæ confirmationem tentamina fieri voluit Carolus II. Angliæ Rex, qui ante & post exercitium, a venatione, a sommo, a plenioribus epulis, a jejunio, sese stateræ commisit. Postea Parisino sub aere parum a Keillio diversa instituit Dyonisius Dodart, e Parisiensium medicorum collegio, vir ut doctrina, sic pietate insignis, qui jejunii sacri occasionem nactus, Physicen salutaribus simul, & piis experimentis illustravit, doctus quantum inde corpora amitterent, quam brevi temporis spatio amissa resarcirent. His tamen omnibus palmam præripuit tum assiduitate tentaminum, tum sedulitate indefessa J. de Gorter, magni Boerrhaavii discipulus, in frigido, & cænoso Batavorum aere ad gradum latitudinis 51. Hic fere omnem adimplevisse doctrinam videretur si vitæ, aeris, & locorum differentiæ omnes ab uno possent homine observatione deprehendi. Verum qui-

cum

cumque rem sedulo diversis in locis, imo diversis in annis observaverit sub regimine & mentis, & corporis vario, diversa pariter deducet corollaria, si præsertim coctam materiem perspirabilem ab exhalantibus simplici exhalatione humoribus non secreverit. Inde enodandam, & intelligendam facile se præbet varietas, quam reperiunt, tum inter se, tum ab aliis, Dublini Bryan Robinson, Korkii Georg. Rye hic ad 52., ille ad 53. latitudinis gradum.

Novi aliquid nostro jure postulare debemus a Joanne Linings, qui in meridionali Carolina ad 33. latitudinis gradum stateram ad usus physico-medicos adhibuit. Quanta enim esse diversitas debet perspirationis, coctione etiam pari, inter regiones, quas cursus nimium impendentis, aut acrius reflexi solis exurit, in quibus sudor numquam remitti se patitur, & labor vel minimus vires per se fatiscentes protinus exhaurit, ac vincit, & inter illa sævissimo frigore rigentia borealia loca, in quibus equis, & curribus calcantur per dimidiam anni partem amnes cæteroquin rapidissimi.

Omissis tamen differentiis omnibus, quæ plus animum oblectant, quam artem promovent, & de quibus ad varios passim aphorismos agendi sese feret occasio, quas aliunde ad sedulum revocavit examen Albertus Haller, quem advocasse laudare est; duabus tantum insistemus discrepantiis, cum in re-

mo-

motiſſimis a ſe invicem locis obſervatæ fuerint, a Bryan Robinſon Dublini, & Joanne Linings in meridionali Carolina: Scilicet dari tempora anni frigidiora, in quibus, licet omnino repugnet Sanctorius, urinæ copia perſpirationis copiam exſuperet; quod etiam in variabili noſtro Pariſienſi aere, & vivendi genere ſumme inconſtanti licebit obſervatione deprehendere; quoties præſertim frigus acre, & ſubitum, calentibus & ab aere tepenti rarefactis incidit, aut præ aeris leni perfidia, oſcitantes opprimit. Tunc enim ſi ſanitas perſtet intemerata, nec vires acciſæ fuerint, omnia ſummo impetu delabuntur ad urinam, cujus tanta exilit copia, quantam vix Italorum in beato aere vivens Sanctorius, unquam exiſtimare potuiſſet.

¶ Nec minus etiam conſtantiſſima evincet obſervatio, quod Gorterus apud Batavos reperiit, dogma, ſcilicet, ut noctu, & inter pacati ſomni tempora minus calet ad thermometrum corpus, ita etiam illud minus perſpirare: præpararique hoc tempore humorem, qui evigilantibus, vaſis vi nova vegetis, erumpat ſumma cum violentia. Quæ vero animoſe, & ſpretis deliciis, Toloſæ obſervavit circa defectum potus J. Marcorelle, qui corpora multo reddat leviora, quod antea etiam compererat Dodartus diutius multo ad ſenſum a docto ſacerdote vidi comprobatum, ut alibi fuſius exponendi ſeſe locus offeret. Hæc porro experimenta, ſicut & alia nondum edita,

de quibus mentionem faciendi locus dabitur, nedum de ſtatica medicina diffidentiam afferant, contra confirmationem addunt. Si enim omnia illa inter ſe conferantur, evincitur, ſemper fore, ut pro ætate, loco, tempeſtate varia in experiundo fiant corollaria, ipſam vero doctrinam firmam, atque demonſtratam evaſiſſe.

At dum operæ pretium quærimus, & medica ſectamur commoda, id primum edocuit ſtatera, maximam eſſe in genere illam, quæ per inſenſiles meatus inviſibilis avolat, excrementalem materiam: Nec eam tamen, licet ſemper aliquid de corpore mortales viſus fugiens erumpat, quocumque tempore eſſe copia æqualem, ſed ſemper alimentis ſalubriter, & cum alacritate ſumptis, & coctis, in robuſto corpore proportionalem. Poſtea vero non minimi momenti illud enituit dogma, non ſemper cum ponderis aucti ſenſu conſentire ſtateram, hanc imo ſæpe ſenſui repugnare. Unde nova corollaria in artis augmentum deducta ſunt.

Nam cum ad ſtateram corpus applicatur, quadruplex ejus reperiri poteſt conditio.

Prima eſt ubi ad ſtateram graviores ſenſus etiam ponderis comitatur.

Altera ubi ad ſtateram graviore corpore levitatis ſenſus fallit jucundiſſime.

Nova eſt & tertia, ſi quam ſtatera levitatem arguit, illam etiam ſenſus indicet:

Po-

Postrema & quarta reperitur, si te statera tibi leviorem redarguit, tu vero sensu ponderis te graviorem colligas.

His enim quatuor corporis conditionibus observatione, & ratione ponderatis, maxima Sanctorianæ doctrinæ solvuntur Problemata, & ingens in Hygieine lux oritur. Si enim quam staterá demonstrat, ipsum senserit corpus gravitatem, gravantur vires a vera, & existente Plethora. Illa vero Plethora si viribus opprimendis plures per dies sufficiat, nec aut victus abstinentia, aut nixu naturæ violento resolvatur, brevi pejorari succos necesse est; turbato enim motus ordine, turbatur liquorum crasis, citoque in cacochymiam vertitur Plethora.

Si vero ad stateram gravioribus, insit tamen alacris levitas, & ad omnes motus habilitas prompta, fausta omnia, atque felicia speranda sunt. Auctum quidem est onus, sed superant vires hosti debellando pares. Anceps tamen erit fortuna, si salubria naturæ molimina prævertat ingluvies, aut causa quælibet emunctoriis apta obstruendis.

Felici quidem augurio levitas ad stateram, cum levitate ad sensum, apparet. Res quippe vires non accisas indicat, sed citam postulat reparationem, ab externis quærendam cibariis, ista conditio. Deest enim viribus unde occupentur illæ, & brevi pondus ad sensum ab earum defectu augeretur, si non no-

novum ad ſtateram pondus ex alimentorum ſuppetiis facile, & prompte accederet. Sola quippe reparationi obſtare poteſt egeſtas miſeranda. *Dii meliora piis*.

Peſſimum eſt levioribus ad ſtateram ſeſe graviores ſentire. Deeſt quidem onus, ſed multo magis deſunt vires. Ipſa oneri eſt natura. Ergo damnum inflictum eſt, quod reparare non valeant alimenta. In ipſo ſuo ſacrario natura ab hoſte proſtrata eſt. Adeſt aut morbus, aut proximum, ac vix eluctabile morbi ſeminium.

Plurima ſunt, quæ inde in Hygieinem fluunt principia utilia: hæc enim ſanitati ſervandæ, cum integra ſtat, aut inſtaurandæ cum labaſcit, invigilat. Doctrina vero perſpirationis in utroque hoc ſcopo tota continetur. Pondus enim, ſive illud ſtatera, ſive ſenſus arguat, nullius eſt momenti, ſi naturam gravi affectu laborantem intuemur. Nec, cute arida, criſpatiſque præ erethiſmo vaſis, regularis in febre ulla perſpiratio ſperanda eſt, quæ niſi coctione peracta, & expulsa febrili materia, non reviviſcit amplius. Hinc ut in ægrotantibus, & acuta præſertim febre laborantibus perſpiratio nullatenus quærenda eſt, ita in iis, qui a morbo revaleſcunt, ſummi illa momenti eſt; ubi incipit ali corpus, triſteſque hoſtilis materiæ reliquiæ novum poſſent ex ſavilla ſuſcitare incendium.

Perſpiratio ergo ad naturæ leges librata alimen-

mentis intra susceptis, & moli excrementorum sensilium ; illis in directa , his in inversa ratione proportionalis est, (ut voces a Mathematica doctrina rebus apte designandis mutuemur,) Hinc si plus alimentorum sumpseris, modo vires non opprimantur, sed ad hæc subigenda valeant , plus etiam tibi increscet perspiratio . Si minus alimenti corpori credatur, minuetur etiam illa ; cessabit penitus, si absoluta fuerit inedia.

Cum porro perspiratio non solum assumptioni alimentorum, sed etiam eorum coctioni adamussim respondeat , possitque , receptoin scholis vocabulo, excrementum tertiæ coctionis vocari ; sequitur non minori evidentia , illam , ut legitima sit , certa, ac definita indigere præparatione , qua ea tantum expellantur, quæ extra propulsanda sunt, illaque ita figurata, ut mæandros vasorum sibi propriorum illæsos, apte & libere superent, Hæc porro iis donata proprietatibus perspiratio , cocta , nomine Hippocratico , dici potest ; id est suæ consona , & accommodata naturæ, quam si non consequatur, cruda erit, & jure dicetur. Unde patet sedulo distingui inter se separari , atque sejungi debere tum perspirationem coctam, quæ non semper, non æqualiter omni tempore fluat, sed noctu præparetur, mane facto vortice ad exitum ruat, num perpetuam illam , indesinentem , vitæ ipsius sequelam , exhalationem humorum tenuissimorum. Ex

Ex hisce principiis recte duas agnoscemus humorum per aperta cutis spiracula fugientium species. Priorem exhalantis liquidi nomine designabimus, altera perspirationis nomen sibi vindicabit.

Prior nullo non fit tempore, a motu vitali cordis solo pendet, ei proportione concors, si cætera fuerint paria, id est, si vasorum exhalantum oscula fuerint & meabilia, & patentia: adjuvatur a causis externis, quales sunt calor aeris, electricitas, somnus, lætitia moderatior. Hanc quocumque tempore, si manum terso, politoque metallo admoveris, deprehendas, hanc e pulmonibus erumpentem frigus in fumum densat conspicuum. Imo si calentem manum, aut nivi, aut glaciei admoveris, exhalantis liquidi halitus acutiores oculos non fallet.

Altera vere Sanctoriana coctioni alimentorum soli apte responsat. Hæc est illa, quæ non omni tempore exilit, copiosior a quinque, vel a septem post cibum horis, somni habita ratione; promptior est a leviori cœna, tardior a pleniori, licet quidam alia docuerint. Statera hisce horis admota, quos prius confuderat, a se invicem secernit humores, dum copiam docet, dum causam indicat, dum effectus discernit. Tantum hisce in horis, & a somno in perpactis intra unius horæ spatium a corpore decedit ponderis! Unde non sine summo acumine non

tan-

tantum summam hujusce humoris copiam detexit, sed etiam ponderis maximi perspirationem haberi voluit præceptor noster Sanctorius.

Verum absque trutina hasce humorum nostrorum a se invicem discrepantias & ratio indicat, & observatio. Ratio quidem pleniora esse post epulas vasa satis indicat, hæc vero etiam sine ulla sensibili vacuatione depleri, & ad inediam, ac vacuitatem reduci posse, nemo est qui ignoret. Hinc enim nova ciborum necessitas ingruit; fit ergo depletio, & inanitio, a partibus, quæ dum sensos fallunt, rationem, & observationem non eludunt. Demonstratur ergo, & plene arguitur conclusione necessaria perspiratio hæc nostra. Præterea si propter aeris frigus, aut aliam quamcumque causam cutis obturetur, & quasi constipatione obdurescat, quibus præcipue horis perspiratio cocta exilit, mirum est quam larga copia urinæ latex exundet, & ille quidem sedimento albo, ponderoso dives. Demum certum est, quod iis, qui & largius epulantur, & bene concoquunt, lintea quæ cuti ipsi apponuntur multo sæpius renovanda sint, eaque, nisi cura subsit, dum a cute removentur, sordidiora sunt; quæ quidem sordes, quantum pondus addant indusiis, facile est experimentis deprehendere. Imo ea lintea, epulonum & large comessantium, aliquandiu asservata rancedinem olidam contra-

hunt,

hunt, & pulverem tenuissimum, sed copiosum, & fœtidum excussa in aerem emittunt.

Præterea vero nonne ipsam visui, & tactui perspirationem redditam dicere possumus, cum homini a somno recenter excitato aut imperfectius concoquenti, aeris frigidi morsus, universam sanguinis molem crusta alba tenaci, mucosa inficit, quæ cum, in arctissimos vasorum pulmonalium mæandros sese deposuerit, aut illo decubitu hominem perimit, aut indivulsæ, ac glutinosæ pituitæ forma, nixu ingenti exsputabitur, forma catharri. Nec novum est in arte statica, eos, qui multa, & crassa sputant, parum perspirare. Norunt illud ii, quibus paulo plenior cæna non permittitur, quin eis illico, ut verbis Hippocraticis utar, *nares impleantur*, aut, quod periculosius, pulmones.

Perspiratio igitur coctionis fœtus est, & effectus; perfecta erit si etiam coctio fuerit perfecta, sin minus, iisdem vitiis laborabit. Si defecerit, deficiet etiam prorsus. Nihil ergo prima alimentorum mutatio in ventriculo ad illam confert, imo etiam ei nocet. Corpore pleniori vix aliquid primis in horis ad stateram amittitur.

Deficeret statera, rem docerent evidenter cutis ariditas, calor major exortus, urinæ aut suppressio, aut tenuissimæ, & aqueæ, in potu liberaliori, emissio. Vix aliquid tunc exhalat, si forsan exceperis penetrabiles spi-

 ri-

rituum aſſumptorum, & ſumme volatiles atomos.

Nec chylo recentius admiſſo, ſed nondum coɛto plus debetur perſpirationis coɛtæ. Si liquidior ille fuerit, ejicitur aqua ſuperflua vel ſudoris, vel urinæ ſub forma. Sed ille crudus adhuc, necdum ſanguinem inſtaurans, premi, addenſari mole, principiis tenuari poſtulat, ut coɛtus dici poſſit. Hinc præmatura exercitatio non nutritionem tantum, ſed & perſpirationem impedit, principiaque naturalia violento ſubvertit, turbineoque motu; hinc quantum, hoc in tempore, inertiæ experitur natura, tantum, in labore præpoſtero, defatigationis perſentit, linguaque præcipue, non ſpernendum ad perſpirationis notas aucupandas organum, muco tunc obſeſſa, craſſo, crudo, indivulſo, exeuntium humorum pravam craſin, amarore ingrato, ſitique importuna, declarat.

Coɛtionis ergo peraɛtæ tempus perſpirationis hora eſt. Hinc licet repugnet Sanɛtorius, veriſſimum dogma & mihi conſtantiſſima obſervatione demonſtratum, detexit ſtatera illuſtriſſimi J. Gorteri: minimam eſſe ſomni tempore perſpirationem, præparationem ad perſpirandum maximam. Scilicet, laxatis vaſis minimis, & ampliore ſpatio, circuitus fit tardior, & lentior. At quod ad coɛtionem præcipue confert ſumma cum æquabilitate diffuſus calor animalis dormientis, pluribus gra-

gradibus, ac in vigilante, minor est. Hinc si homini statim a somno supprimatur perspiratio, retinetur illa tota quanta est intra corpus, nisi suppleat urina; & nullo alio tempore tam infausto omine repercutitur materies ad exitum prorumpens, præparata per coctionem præviam & mere excrementitia. Hinc tantum tribuebat Sanctorius, licet hujus inscius theoriæ, illis, quæ somnum excipiunt, pandiculationibus, & oscitationibus, quæ instrumento jam in motum alacri novos addunt stimulos. Attendant ad dogma illud, vestibusque se mane protegant, quos necessitas cogit, ut a lecto statim aerem frigidum subeant, & illi qui pharmaca purgantia incautius statim a somno obtrudunt: docti aliunde, vim ipsam catharticorum purgantem per somni laxitatem obtundi.

Quamvis autem tot sibi peculiares, & inquilinas dotes vindicet humor perspirabilis, non tamen videtur organum aliquid sibi poscere singulare. Perspirationi coctæ, & tenuissimis tertiæ coctionis excrementis facilem exitum præbent, quotquot patent ad cutim hiantia vasorum oscula, pori, glandulæ. Nihil hic addamus eruditæ Abr. Kaw meditationi, nihil sagacissimis Alb. Halleri observationibus.

Enimvero omnia corporis organa perspirant, & humorem coctum sibi proprium exhalant, ab aliis, non natura quidem, sed

aliquot notis distinctum. Ubique sua cuique adest coctio. Plus humoris sibi omni dote correlativi emittunt folliculi scrotales, inguinales, axillares. Alius est faciei, cuti thoracicæ humorum exitus. Hinc variolæ matribus detestatæ puellarum vultum adeo deturpant, alias cutis partes vix attingunt. Oris interni perspiratio an non in limum solidum, imo addensatum, & fere calculosum cogitur? ut asparagus ingrato odore inficit urinas, perspirationem intactam sinit, sic in multis allii odor inguina, & axillas olentiora facit. Spiritus vini abusus sudori etiam sæpe singularem indit fracedinem. De quibus authores compilasse inutile est. Ulcera ipsa sæpe odorem sibi ab alimentis quærunt, cicatrix sola, omni destructo mechanismo, perspirationi invia est. At, seposita illa organorum varietate, quæ diversitatem aliquam formæ non naturæ humoris nostri indunt, nulla adeo distinctione, & animadversione digna perspiratio, quam quæ ab ore fit, & pulmonibus.

Illa enim, quæ fit ab ingenti pulmonum superficie, circa cujus mensuram videantur accuratissima Halesii tum in statica vegetantium, tum in statica animalium experimenta, magnam debet e corpore auferre liquorum vim. Hanc ad uncias tres intra viginti quatuor horas Jo. Floyer; hanc ad selibram eodem temporis spatio æstimat Sanctorius;

rius; multo majorem ejus copiam numerabant Bergen, Stephenſon, Home, imo & ipſe Haleſius. Nec quidquam tamen certi ab experimentis hiſce pro vario corporis, & aeris ſtatu licet aſſequi. Illa tamen nihil ad noſtram perſpirationem analogum comprehendit. Vix enim aliquid emittit præter aquam levem, inconcreſcibilem, & volatiles ſpiritus a corporis perpetuo ferventis labore indefeſſo productos, forſan & ab alimentis mutuatos. Quæ vero ori, & naribus propria eſt, ſalſa leviter, ſæpe denſatur in aquam, & turpi ſtiriæ nomine fœde pendet a naribus in frigore. Hinc ſi repercutiatur perſpiratio cocta, atque ponderoſa in pulmones, qua quidem in fingenda, & elaboranda magnam ſibi partem vindicant illi; in emittenda nullam, turgeſcunt illico, & cito indurantur, maſſamque efficiunt ponderoſam non ſolum ad ægrotantis ſenſum anxioſam, & importunam, ſed etiam ſecanti poſt mortem Anatomico, vere præ mutata partis ſtructura, & auctis immaniter & pondere, & denſitate, ſtupendam. De qua videatur omnium medico-anatomicorum primus Jo. Morgagnus.

Multo magis certe ex hiſce humoris noſtri natura eluceſcit, quam ex inſpectione, & ab aliis humoribus exhalantibus ſeparato examine, prorſus impoſſibili. Perſpirationis naturam tamen ab aliis dignoſces humoribus ſimul exeuntibus, ſi paulum attenderis ad il-

illa, quæ ex cute colligi possunt excrementa. Exit enim a cute 1°. ingens aquei laticis copia, eo uberior, quo plus sese liquore corpus ingurgitaverit. Inde sudores illi dormientium, ebriosis æstate præsertim familiares. Aqua hæc leviter salsa, si a brachio in vitrum incluso exstillet, inconcrescibilis avolat, & maculam vitro imprimit terreo-salino-oleosam, multo aere intus incluso turgescentem, qui demum foras prorumpit, si igni nudo fœdata vitri pars committatur. Si vero seorsim a sudore sordes omnes, circulationis impetu ad cutem delatas, eraseris, multa reperies cutem obductam mucagine, seu potius sapone mucoso, & oleoso, quæ, pars solidior facta, vix aqua simpliciter applicata solveretur, nisi aut frictu illa intrudatur, aut, solvente saponis vi, reddatur efficacior ad abstergendum. Hinc quotidianum est, si aquam cuti lenius admoveris, ipsam in guttas grandes coire, quasi vernici cutem obducenti immiscibilem, donec aut vis, aut impetus trusionem efficiant. An illud ab adipe transudante pendeat, requirant alii? Certe summam etiam cutim conflari cellulis longa maceratione demonstrabis. Reperies vero maxime oleosam perspirationem ad axillas, inguina, pone aures, ad vulvam, &c. Si vero sordes illas a cute hominis, sed præsertim ab equi exercitati corio derasas aqua solveris; turbida quidem illa primum fiet, mox se-

fedimenti forma ad fundum, puris inftar, miraberis quanta copia detrudatur partis folidioris, quæ quidem quam cito putrefcat materies, facile concludet, qui adverterit hominum fanorum, nec fpurcitie fœdatorum, cutem effe prorfus inodoram: in fordidis vero, & negligentibus fracidam, & rancidam: olentem, & putridam in iis, qui veftibus mutandis non adhibent curam, aut quos carceribus claufis, aere non renovato fœtidis, inclufit neceffitas. Eamdem cutim neglectam, & munditiis carentem, reperies in junioribus paftæ fermento fubactæ odori æmulam; in infantibus mere acidam. Adde his, ut omnia fimul uno intuitu comprehendantur, quæcumque in corpore evolvuntur volatilia, fpiritus forfan animales, auram illam quafi feminalem, quæ in eunuchis deficit, fpiritum rectorem animalibus proprium, & ea quæ fæpe aliqua labes contagiofa afflavit, & videbis quanti fint emunctorii loco organa cutanea.

Præterea vero nonne verifimile eft, & demonftrationi quafi proximum, permeabile effe corpus materiei illius univerfalis effluxibus, potentiffimis illis quidem, a quibus electrica vis, proprietas Phofphorica, nexufque cum aliis vel remotiffimis corporibus fympathici pendent, & vincula efformantur naturæ univerfalia. Quis negare audeat varia, quæ inde poffunt concrefcere con-

nubia , formas diversitate abnormes , proprietates phænomenis stupendas , circa quas mechanice nostra cæcutit adhuc , quia sensibus manent, & manebunt forsan in æternum imperviæ . An etiam sive effluxui , sive effluentis materiæ impetui confert aliquid purissimum aeris elementum? Certe barometricis observationibus sibi demonstravit Vain-Wright, corpora hominum aere gravi majorem vim exercere , magisqve ponderis tolerare , quam leviori atmosphæra . Id aliunde certo scimus, ea quæ possunt in formam solidam densari animalium liquida, maximam aeris vim ad ignis tormentum præbere . At certe sub bullarum forma exire a cute numquam potuit aer. Nec spuma sudantum, nisi aeri externo vehementer concusso, & cum sudore mixto non debetur.

Ex illa quidem universa, circa Sanctorianæ perspirationis ortum, & naturam, contemplatione , satis confidimus intelligi , quantum viri vere inventoris meditationibus, & corporis physice, & ab illa tota pendens ejus conservatio, sibi lucis, atque illustrationis insumpserint . Verum hærentem illius fronti multa cum laude coronam , nulla ratione marcidam effecerim , aut aliquid meritis ejus detraxerim , licet ab ejus opinione alienus , si animadvertere libuerit , illum non tantum ad praxim medicam suis inventis contulisse, quantum ad theoriæ recludendos fontes. No-

Nostra enim perspiratio ad hygieinem solam pertinet, nec ullatenus cum sudore aut critico, aut symptomatico, vel ad diagnosim, vel ad prognosim conferri, atque comparari potest.

Sudor enim semper contra naturæ leges erumpit. Sive eum extruserit urentis atmosphæræ calor æstuans, sive liquidi intus redundantis impetus, qua sese via aperit, eum extus coegerit prorumpere; sive miasma volatile corruptorum, & solutorum humorum soboles, fuderit illos, & molem tenuaverit universam. Sæpe salutaris emicat, aliquando utilis, sed sæpius noxius est, & vitæ cadenti proximus; hinc vera plerumque sunt quæ circa ipsum congessit dogmata Sanctorius. Licet enim pondus ad stateram possit per sudores imminui, sæpe pondus ad sensum immaniter increvit.

At contra summa est urinæ cum perspiratione analogia, & utriusque doctrina iisdem comprehenditur præceptis; nulla est quæ deficienti adeo prompte, adeo efficaciter succurrat excretio. Imo, & licet inventæ doctrinæ amore præconcepto senserit aliter Sanctorius, dubium est an non aliquando salubrius superflua per urinam vacuentur. Certe quæ minus perspirant corpora, hyemali indurata frigore, saluberrima sunt. Et minus mucidæ nutrientis partis urina abripit, quam tota fere mucosa perspiratio: nec deesse videtur, quantum conjecturis potius,

quam

quam experimentis possum assequi , perspirationi sal suus fusibilis. Ut ergo, post Paracelsum, Boerrhaavius ita vult urinam distingui, ut alia tenuissima, & statim a potu exiliens, urina potus dicatur, alia urina chyli vocanda sit, quæ nec adeo tenuis, nec tamen adhuc cocta sit; tertia demum bene cocta post perfectam coctionem emittatur, & urinam sanguinis constituat : eadem prorsus adhiberi posset in exhalantibus humoribus divisio , proprietatesque eædem annotandæ forent, si sese oculis sinerent deprehendi.

Præterea vero fateri debemus, multo uberiorem fore, & extensionis latioris urinæ doctrinam, cum non tantum de ejus copia judicium nostrum & facilius, & securius sit, sed ejus variæ qualitates utilia etiam multa edoceant. Præterea vero per universum morborum, vel acutissimorum ambitum urinæ observatio protenditur, ab eaque judicia struimus certissima, cum morborum aut diagnosim, aut prognosim nulla ratione attingat perspiratio.

Aliunde vero statera non omnium hominum, aut omnium temporum ars est. Hæc aut naturæ observatores spectat, aut homines ita sui amantes, aut privatæ saluti obnoxios, ut publica possint officia contemnere. In eo vero ars nostra tota versari debet ut a sensibilibus ad insensilium notitiam perveniamus : qui scopus a statera non requirendus est. Machina vero ipsa sensu regitur ; qui

si

si nihil mutati indicet, frustra in remotis a sensu, atque absconditis, formidini locum quæremus. Nec unius aut alterius diei pondus immutatum, sive augeatur illud, sive minuatur, aliquid agendum indicaverit; verum si plures per dies ponderatio alteretur, sensus non stabit iners, aut natura monenti sensui indocilis: sed de his plura non dicemus, quæ per se patent meditantibus, & ingeniorum leviorum oculis viderentur ipsam, quam prædicamus artem, convellere.

Principiis hisce quasi a fundamentis erecta, atque stabilita perspirationis doctrina plurimorum nobis circa physicen corporis problematum enodationem aperit, & oculis subjicit; quibus diutius ne immoremur, facit ipsa aphorismorum Sanctorianorum mox proponenda expositio. Nec tamen inde minus constat, illos qui magis alimentis sese ingurgitant, magis etiam perspirare, si cætera sint paria, noxasque inde natas omnes pro bene resarcitis haberi non posse, donec in integrum non fuerit restituta perspiratio illa: nec eamdem esse fœminis; hystericis præcipue illis, quæ adeo copiosam urinæ vim emittunt, perspirationem, cute scilicet strictiori, & vacuatione menstrua defectum perspirationis compensante. Imo norunt ipsæ mulieres hystericæ quam parum sordium linteis imprimant. Corpora contra viraginum ro-


robusta habitum virilem mentientium plus odoris specifici emittunt, plus etiam perspirant.

Tum vero illud præcipue licebit perpendere maximas imminutæ perspirationis noxas in subita illa,& catharrosa ejus retropulsione constitui, partibus præcipue prava dispositione jam prælaborantibus; posse enim illam sensim, & salubriter imminui. ut fit quotidiano usu quoties ab æstate ad autumnum, ab autumno ad hyemem deflectimus. Imo & cum perspirationis auctæ viribus, utilia multa a corpore, sive spiritus illa vocaveris, sive ex muci illius supra imaginandi vim tenuissimi natura conflata, extrudantur; certum est nos corpore quasi coacto,& compacto, hyeme fortiores videri; hominum vero validissimos,& ferendis aptiores laboribus, in frigore boreali nasci, contra vero sub ipsis solis radiis, meridieque æstuanti naturam imbellem, vix actuosam ad fortia capescenda reperiri. Hinc illi non saniores,aut salubriorem vitam agere dicendi sunt, qui plus,aut æquabilius perspirant, licet ita senserit inventor noster Sanctorius, sed illi, qui minus ab alternis caloris, frigorisque vicibus commoventur: In quas vices summum est sensuum imperium; ita ut sensu judice melius, quam statera, suppressæ,& auctæ perspirationis affectus regantur, & determinentur. Præstabit ergo omnibus præceptis corpora ita

in-

induraſſe, ut ſentiant minus externorum irruentium impulſus. In hac porro induratione, & immobilitate ad omnem cauſarum externarum impetum, jacet omnis diſcrepantia, quæ intercedit debilitatem inter, & robur; ad quam vitandam infirmitatem omnis hygieine dirigitur, & intenditur.





DE PONDERATIONE INSENSIBILIS PERSPIRATIONIS.



SECTIO PRIMA.



APHORISMUS I.

Si quanta, & qualis oporteat, quotidie fieret additio eorum, quæ deficiunt, & ablatio eorum, quæ excedunt, sanitas amissa recuperaretur, & præsens semper conservaretur.

Corpus per se sanum, illibatum stabit, & servabitur, si excrementa jam ipsi nocitura, dotes adepta debitas, vacuentur justa propor- tio-

tione, & materies nutritia, similis deperditis, & derasis per circuitus perpetui vim, particulis, evadat. Utraque actio, eodem mechanismo, unaque vi efficaci, peragitur ab infantia ad usque mortem. Hac crescit homo, hac viget, hac moritur. Servatur tamen accepti, & expensi æqualitas in sanitate ad stateram, quamvis quotidie aliquid supersit crescentibus, quo augentur; sed in hanc partem mole minimam nullus est staterae accessus.

Ut illud autem debito successu attingat corpus, non copia solum ciborum spectanda, sed qualitas viribus accommodata corporis, id est, quæ subigi facile possit, & viribus edomari; nec aut tenacior sit, aut multis remixta partibus excrementitiis & domari, ac subigi nesciis. V. Hippocrat. de prisca Medicina, de alimento passim, Galen. de aliment. facult. cap. 2. lib. 1.

II.

SI Medicus, qui præest aliorum sanitati, sit solum capax additionis, vel evacuationis sensibilis, & nesciat, quanta quotidie illorum sit perspiratio insensibilis, illos decipit, & non medetur.

Nimis extensa propositio desperationem medico incuteret: stateram enim ad sanitatis normam adhibere impossibile. Sed sanitas, quæ va-

vacuationum tum sensibilium, tum insensibilium rectum ordinem supponit; ut maxime sensu regitur, sic sensuum ope certo cognoscitur. Adsit ad omnes actiones alacritas, & facilis promptitudo, tunc judicare licet, non functiones sensibiles solas, sed etiam insensibiles se recte habere. Nam consensus unus, & confluxus unus omnium inter se, ab evidentibus ad abstrusiora nos, ratione, & sensu judice, deducit.

Hinc ad illam Hippocraticam sententiam reducimur.

Ἀσκησις Ὑγιης, ἀοκνίη Πόνων ἀκόρίη σίτων.

Norma sanitatis est impigrum esse ad labores, & sobrium ad cibos.

III.

ILLE solus, qui sciet, quantum, & quando magis, vel minus, corpus occulte perspirat, penetrabit, quantum, & quando erit addendum, vel auferendum pro sanitate conservanda, & recuperanda.

Mutata loquendi formula, idem omnes medici sonant. De perspirationis enim natura, & existentia, collatis inter se omnibus sanitatis signis, pronuntiare facile est. Ponderatio vero, Medicinæ promovendæ cupidis maxime proficua, in praxi impossibilis; sæpe a causis a sanitate alienis variationes accipit, ut pluries, vel Sanctorio teste, in sequentibus probabitur.

IV.

Perspiratio insensibilis sola solet esse longe plenior, quam omnes sensibiles simul unitæ.

Id experimenta in omnibus locis, & accidentibus sanitatis demonstrant, Keilliana, Dodartiana, Gcrteriana, & quæ in Gallia a pluribus instituta sunt, aliquam tamen exceptionem dari probavere Robinson, & Linings. V. Introd.

V.

Perspiratio insensibilis vel fit per poros corporis, quod est totum transpirabile, & cutem tanquam nassam circum positam habet; vel fit per respirationem per os factam, quæ unica die ad selibram circiter ascendere solet, hoc enim indicant guttæ in speculo, si ori apponatur.

Cutis plurimis, imo infinitis pertusa vasis, & folliculis in eam hiantibus, non unius diametri, sed varii admodum, & squammulis epidermidis valvularum conniventium more retecta, non unum humorem emittit sed plures ejus species. Imo & squammularum harum ope, emissi humoris retinet, & resorbet aliquam

quam partem, si præsertim athmosphæra humida superincumbat: unde tot in aere humido inflationes, tot contagia. Fit enim ad ipsam cutim quædam quasi circulatio. Præterea glandulæ guttas grandes humoris salsi exire sinunt, & humores etiam specificos, amaros, oleosos, glutinosos ad ipsam epidermidem solidescentes, & eo majores pondere, quo plus animal perspirat. Norunt id equisones. Præterea rancescit ad cutem salsum illud sedimentum, & illota cute pruritus facit intolerabiles. Aliter se in pulmone res habet. Vapor enim a pulmonibus exhalans copiosissime, tenuis est, sine sedimento, sine salsedine, quæ fixior exhalare nequit, sed a lympha, & chylo nondum in sanguinem mutato aliquando levem acescentiam profert, aut à chylo recenti odorem pastæ fermentantis, vel demum, si odorem, & acrem saporem accepit, hunc mutuatur a lingua, palato, dentibus, in quibus evidentia sedimenti perspiratorii signa quotidie mane apparent.

VI.

Si cibus & potus unius diei sit ponderis octo librarum, transpiratio insensibilis ascendere solet ad quinque libras circiter.

Licet hæc proportio in Gorterianis calculis etiam vera sit, tamen in variabili nostra Gallia,

lia, alimentis variabilibus, diæta lautiori, multo magis variabilis est, quam in ullo alio climate, in quo talia fuerint instituta experimenta. Sed eligendus est inter hasce variabilitates medius terminus.

VII.

QUANTITAS perspirationis insensibilis aliquam varietatem patitur, pro varietate naturæ, regionis, temporis, ætatis, morborum, ciborum, & aliarum rerum non naturalium.

Difficile est omnes varietates experimentis comprehendere, si vestium stragularum pondus, camerarum humiditatem, quo fit ut ipsi sæpe oculi mane turgeant, reflexiones solares, horam somni non indifferentem, sed varie coctioni inservientem, prout vel ab occasu, vel ab ortu solis distat, spectaveris. Si non copiam solum, sed & duritiem alimentorum, animique pathemata in numerum causarum adhibueris. Inde etiam patet, quare tum varia temperamenta hominum, tum ætas, sexus, debeant hic multum varietatis inducere. Biliosis, cutis siccissimæ hominibus, plus per alvum, minus per insensibilem perspirationem amittitur. Hinc vix ipsis fœdantur per longum tempus linea indusia, vix pondus e corpore exeuntia acquisiere. Senes minus perspirant; hinc ipsis tot sputamina vix coctionem accipientia; hinc

hinc cutis arida; hinc difficultas coctionis in morbis. Mulieribus minor pariter perspiratio. Menstruata mulier, ante & post menstrua, vix videtur perspirare: plus certe alvo solvitur. Infantes undequaque diffluunt, sed iis perspiratio vix certa est. Hystericis mulieribus vix uncia per diem exhalat, sed flatus est morbosus; hinc aliquae aucta superficie in balneis supernatant, ut aiunt.

VIII.

Ex corpore mane ponderato, ante & post excretionem sensibilem, quanta fuerit nocturna perspiratio, & sensibilia excrementa, facillime intelligitur.

Ponderentur etiam ex Gortero indusia ante, & post noctem. Plures enim uncias ponderis acquirunt, quae in corpore veterascunt; imo &, si illota longo tempore remaneant, rancedinis primum, dein putredinis notas concipiunt.

IX.

Si corporis pondus plus solito augeri incipiat sine majori cibi vel potus additione, vel sensibilium excrementorum retentione, facta est adiapneustia.

Ut intelligatur aphorismus iste, addatur pondus ad stateram. *Nam aucta perspiratione, simul & auctis vacuationibus reliquis pondus ad sensum augetur in illis, quorum aut labor, aut æstus, aut venus exhaurit vires. Quid, & ipsa putredo intra ventriculum accepta idem facit. Idem etiam animi affectus languentis, & mæsti efficiunt sine veri ponderis augmento.*

X.

In eadem salubritate conservatur corpus, quando ad idem pondus sine ulla insolita evacuatione sensibili regreditur: sin vero ad idem pondus per solito plenius lotium, vel secessum reducitur, incipit a pristina elongari salubritate.

Quo viget magis instituta a natura proportio, eo sanitas etiam inculpata magis; vires adhuc valent, si obstructo perspirationis itinere, in opem conjurent aliæ vacuationes. Quarum, quæ perspirationi magis analoga est, urinæ excretio, primas tenet, tum quod similes perspiratoriis partes avehat, tum quod ultimam humorum coctionem peractam indicet. Attamen suus ordo naturæ deficit. Res tamen ita accipienda, ut non intelligatur de subito suppressa perspiratione. Nam qui v. g. a lecto calentes sese aeri exponunt frigido, vix perspirant illi; sed salubriter ingens illis urinæ vis exilit. Si rursus ad focum acces-

se-

ſerint, ſarcitur illico perſpiratio; nec ullam poxam ſentiunt ab illa repetita inter utrumque organum oſcillatione. Sunt quibus alvus pariter proliciatur, ſed infauſto ſucceſſu; nam periſtalticus inde motus celeratur, & inteſtinalis vitiatur coctio. Aliunde, ſi alvus perſpirationi ſuppleat, ſignum eſt nec liberam cutem, nec liberos fuiſſe renum canales, aut materiam exhalandam coctam non fuiſſe ſatis; alioquin familiarem ſibi viam ſecuta foret.

XI.

Si ex ſtaticis deprehendatur, impeditam eſſe perſpirationem, diebus ſequentibus vel ſuccedet plenior perſpiratio, vel aliqua evacuatio ſenſibilis plenior, vel cachexiæ veſtigium, vel febris.

Plenior preſpiratio *Si excipiat ejus ſuppreſſionem, fortius eſt corpus. Minus valent vires, ubi per urinam tollitur ſuperfluum; niſi apertum frigus ad renes derivet materiam. Debiles ſunt, quibus via perſpirationi fit per alvum. Sin alterutra ex his vacuationibus non accedat, vivit intus hoſtilis atomus. Natura ergo ad eam expellendam majores nixus exeret. Aderit febris. Sed ſi ad febriles nixus fuerit impar natura, hinc ſtagnans materies obſtruit vaſa, & agglomerata ex iis fluit in cellulas; fit cachexia. Sicque hoc aphoriſmo omnia malorum a ſuppreſſa perſpira-*

ratione metuendorum, continentur elementa.

XII.

Non possunt stare simul multa perspiratio, & multa solitoque major sensibilis evacuatio.

XIII.

Si quis plus justo sensibiliter evacuat, minus justo perspirat.

XIV.

Crassa excernere, meiere, vel sudare plus justo, & perspirare minus, malum.

Licet crassa sint scybala, secum tamen multum perspirationis auferre possunt, a glandulis, & vasis intus exhalantibus expressæ. Mictus a perspiratione suppressa primum tenuis est, at coctione peracta crassus. Aucta, aliis imminutis, quæcumque vacuatio æquilibrem inter functiones periisse concordiam designat.

XV.

Si corpus ad idem pondus quotidie revertatur, nulla facta mutatione in perspirabilium evacuatione, non indigebit crisi, sanumque conservabitur. *Sa-*

Sanitas illibata quidem erit, sed fluxa, tunc enim vel minimus sentietur error. Robustior erit sanitas, in qua leves excessus, defectus leves non sentientur, & resarcientur facile. Modo tamen moderationis modulum non excedamus utrinque; alioquin verissimus erit aphorismus.

XVI.

MALÆ qualitates introducuntur, dum corpus uno die est unius ponderis, altero alterius.

XVII.

ILLUD pondus est unicuique salubritatis norma, quo, dum acclivia ascendit, se solito leviorem persentit.

Hæc est illa alacritas, qua ad actionem prompti, & leves, sensu judice, sani sumus, & sentimur. Qui sensus minus quam ipsa statera fallit, & ad omnes æque homines pertinet.

XVIII.

A copia oriuntur malæ qualitates, sed non vice versa.

A malis qualitatibus, acredine, viscido spon-

spontaneo non fit plethora. Plethora vero circuitu sanguinis tardato, eum pejorat, corrumpit, & tonum vasorum frangit, hinc malas qualitates inducit.

XIX.

Pondus, nec non copia minuitur, aut evacuatione crudi sensibilis, vel insensibilis; aut cocti sensibilis, vel insensibilis: hæc est salutaris; illa tollit copiam, sed relinquit malam qualitatem.

Corpus perpetuo inhalat, & exhalat. Utrumque probatur experimentis Physiologicis. Nullum tempus ab hac functione vacuum est omnino. Sed aliud est salubriter perspirare, id est necessarias ultimæ coctionis superfluitates secundum naturæ ordinem ejicere; aliud redundantem materiem crudam ejicere, ut aquæ potoribus familiare est; aliud vero acrem, & sudorificam materiem exhalare, sive illud fiat per cutis spasmum, seu per urinæ suppressionem, sive per admissionem malæ cujuscumque qualitatis per vasa intromissæ; talis est qualitas sudores proliciens, ut in sudore febrili Hungarico, Aremorico, Anglicano; sæpe evidens fuit.

XX.

Transpirationis insensibilis duæ sunt spe-

ſpecies: altera fit ſtatim a ſomno, facta concoctione, & poſt hanc augentur vires; altera in vigilia, & hæc elevatur a crudo ſucco, & ob hanc flacceſcunt: fit enim cum majori, vel minori violentia, prout major vel minor eſt vigiliæ motus.

Concocta perſpiratio fit, abſoluta chyli in ſanguinem mutatione; nam mutatio hæc fæces ſupponit, ut nullus in phyſicis, & chymicis verſatus negare poterit. Fæces illæ, ſi ex ordine naturæ ſint, coctæ dicuntur. Crudæ erunt, ſi non fuerint ſatis exhauſtæ partibus utilibus; vel ob naturæ debilitatem, aut ob vim exercitii præpoſteri per quam avolent; aut quod per improviſam cutis laxationem emittantur. Verum ſedulo diſtinguendæ ſunt ab exhalante illo liquido, quod perpetua aura ex cute exſilit, & quod nec crudum, nec coctum dici debet, licet ex ordine naturæ exhalet, nunc plus, nunc minus.

XXI.

PERSPIRATIO, quæ ſalubriter aufert a corpore multum, idque inutile pondus, non eſt, quæ cum ſudore fit, ſed ille halitus inviſibilis, qualis hyeme uno die naturali ad quinquaginta uncias, & ultra exhalare poteſt.

Illa ergo non ſimplex aqua, non oleum ſimplex, ſed ut plures pro varia hominis tem-

pe-

perie partes aqueas continet, ita oleosas non paucas, & salinas crepitantes ad ignem. Humor hic sub lamellis epidermidis, & cum iis solidescit, & strigili eraditur, olim pro remedio vindicatus teste Mercuriali. Aqua, sapone, oleo æqualiter abstergitur, sed sapone melius. Variat pro ætate, sexu. Spiritum rectorem animalis continet, & retinet odorem specificum. Si sordida ab animali lintea aquæ committuntur, primo leviter acescunt, dein cito putrescunt. Nec idem ab omnibus partibus humor exhalat. A pulmone subtilis, crudus, spiritibus scatens; a facie, post aures, ab inguinibus salsus, oleoso-saponaceus; ab axillis spiritu rectore, & oleo fœtus, ut & a capillatis partibus, quæ fere nisi oleo non absterguntur. Sed humores hi omnes pro prandio, aut cœna, pro ætate, colore cutis, sexu variant, & in universum exhalationem constitituunt.

XXII.

INVISIBILIS perspiratio fit visibilis, vel quando nutrimentum est nimium, vel quando calor languet, vel ob motum violentum.

Nimium nutrimentum materiem trudit undequaque superfluam. Idem facit motus violentus, aer frigidus minuit perspirationem, & ejus partes densat. Virium defectus perspi-

ſpirationi, æque ac ſudori nocet, ut quotidiana teſtatur experientia.

Hinc viſibilis fit perſpiratio a cauſis vel externis, vel internis. Externæ ſunt denſatio ejus partium. Internæ, multiplicatio materiei, aut ejus tenuatio, ejus retentio præcedens; alicujus excrementitii humoris ſuppreſſio. Unde illud Hippocraticum, alvi raritas, cutis denſitas.

XXIII.

PERSPIRATIO inſenſibilis, juncta cum ſudore, mala, quia ſudor fibrarum vires diminuit; dicitur aliquando bona, quia a majori malo divertit.

Quæ cum ſudore fit perſpiratio nimia eſt, & cruda, nec compacta ſatis; vaſa vacuat, & ſolida reddit inertia. Nam vel ab impetu intus aucto, vel ab organi laxatione pendet, vel ab acrimonia, ac tenuatione materiei. Nec inſervire poteſt corpori, niſi, aut copia pleniorem vacuet humorem, aut hoſtiles expellat atomos; tuncque critica vocari poteſt.

XXIV.

QUANTO ſubtilior, & ſine madore eſt inviſibilis perſpiratio, tanto ſalubrior.

XXV.

XXV.

Liquida omnia excrementa sunt graviora, fundum petunt; crassa sunt leviora, & innatant, qualia sunt fœces duræ, crassæ, sputamina, & alia id genus.

Liquida excrementa, tertiæ coctionis, repetitæ vasorum actionis, seu coctionis intra vasa productum exhibent; adeoque licet e tenuissimis conflentur partibus, densissima tamen, & arcte compacta principia obtinent. Solida excrementa naturam vegetalem vel referunt, ut fœces, vel chylum crudum, nec subactum, aut genus illud sputaminum, aut nasalis muci, quod frequenter nimiam ingurgitationem, aut debiliorem concretionem sequitur, vel in senioribus, vel in epulonibus. Sputa enim a peripneumonia cocta sæpe ponderosa sunt, ut de pure notum est.

XXVI.

Liquida excrementa plus oneris, data magnitudinis paritate, a corpore auferunt, quam dura, & consistentia.

XXVII.

Liquida quoque cibaria sunt ponderosiora,

ra, & solida leviora; panis, caro levis; vinum, jusculum gravia. Tanti ponderis est vini cyathus, quanti unus integer panis mole fere triplo major.

De cibariis propositio non vera est, ut de excrementis. Sunt enim quædam solidissima, & densissima, qualia sunt mucosa non fermentata, & farinæ plures, quæ gravissimæ, & a corpore vix subigi possunt. Nec eorum pondus a fluiditate, aut soliditate repetendum, sed ab eorum natura, & origine. Leviora ea corpora ars efficit, crassitiem nativam corrigendo fermentatione, aut coctione. Vid. *Hippoc. de prisca Medicina.*

XXVIII.

ILLA viventis conditio, dum sentitur corpus onerosum, quando non est, pejor est, quam illa, dum sentitur, quando est.

Corpus vivens viribus instructum est, quæ si integræ sint, non sentitur pondus additum, nisi sensim augescendo tandem istud illas opprimat. Verum, si nullo addito pondere sentiamur graviores, vires deficiunt, & quod vel levissimum erat onus, evadit immensum. Hinc celerrime medico videndum est quid vires opprimat, & ipsis efficaci arte succurrendum.

XXIX.

XXIX.

Corporis viventis pondus est æquivocum: simul enim stare possunt, corpus esse solito onerosius, & se persentire leviorem, & versa vice corpus scilicet esse factum solito levius, & se graviorem persentire.

In priori casu, vigent & invalescunt vires, & si pondus humoribus additum sit, non sentitur. In secundo, vires minuuntur, & licet onere minori pressæ sint, fatiscunt tamen. Maxime notanda, & animo tenenda hæc propositio staticæ omnis Medicinæ exploratrix. Corpus enim sensu regitur, qui statera minus fallax dum hinc nobis alacritatem sanitatis normam, illinc gravitatem ut signum morborum prænuntium, indigitat.

XXX.

Si hæc duo simul conspiraverint, alterum quod homo se ipso leviorem se sentiat; alterum quod revera non sit levior, indicabunt statum saluberrimum.

Propositio hæc, prioris corollarium, non saluberrimam tantum conditionem indicat, stateræque, & sensus concordiam, sed etiam robur firmissimum; quo robore leves mutationes, a cau-

a causis externis pendentes, spernit animale corpus.

XXXI.

CORPUS, quod acquirit minus pondus latitudinis suæ salubritatis, est pejoris conditionis, quam illud, quod acquirit majus pondus suæ salubritatis.

Res ex dictis necessario sequitur, nam facilius est vacuare, quam replere. Illud artis opus est, hoc virium quæ desunt. Verum, ut intelligatur nostra hæc Sanctoriana doctrina, notandum est, cum agitur de imminutæ perspirationis periculis, hic non intelligi unius diei suppressionem, quæ resarciatur facile, sed deficientem per plures dies, & sensim imminutam.

XXXII.

DUM corpus, ob animi vel corporis motum, redditur minoris ponderis, statim redditur minoris virtutis: quod non contingit, si reddatur minoris ponderis a somno post factam concoctionem.

Exercitio firmatur corpus, dum ingens applicatur materiæ nutrientis copia vasis, atque fibris ultimis. At simul multa e corpore exeunt,

& fibræ lassantur: unde minor aptitudo ad labores, usu ipso detrita. At si a somno, perfecta coctione, redditur corpus minoris ponderis, sobrio, & necessario alimentorum usu restituetur. Exercitio vires deperditæ, præter alimenta, longam, & proportionatam quietem sibi postulant, ut reparentur.

XXXIII.

SI absque præcedenti violentia pondus fiat minus, & vires cadant, id accidit, quia non remittitur, quantum amittitur.

Non remittitur, vel ob alimentorum penuriam; vel ob applicationis materiei defectum; vel propter corruptelam, præsertim putridam; vel quia auferuntur partes utiles per aliquam vacuationem.

XXXIV.

TRIBUS modis tantum animal fit debile, vel dum pondus corporis augetur, nulla facta virium resolutione; vel dum resolvuntur vires, eodem corporis pondere perseverante; vel dum vires, & pondus cadunt.

Corporis pondus augetur ob supercrescentis materiei copiam. Vires minuuntur, vel ob præfractum nimio labore tonum, vel propter cau-

causas supradictas (XXXIII). Si hinc augeatur pondus, illinc vires minuantur, ut fit in ægris pravo utentibus regimine, duplex oritur periculum, duplex ruina incumbit.

XXXV.

LASSITUDO illa, quæ fit, dum corpus redditur minoris roboris, & minoris ponderis, est aliis periculosior: pondus enim est roboris species.

Minus pondus, & minus robur indicant vires oneri vel minimo ferendo impares. At dissentire cogimur cum Gortero ab auctore nostro, cum pondus pro robore habet, quod contra viribus impedimento est.

XXXVI.

PONDUS corporis indit nobis robur, vel dum trahimus aliquid deorsum, vel dum utimur vectione, vertigine, vel pulsu.

Pondus resistit causis impellentibus, dum stat mole immotum; sed passive se habet, adeoque obstat actuositati.

XXXVII.

SENIS robur sæpe a corporis pondere magis

gis, quam a viribus dependet: vetus animal exigui ponderis poteſt diu vivere, ſed non poteſt eſſe robuſtnm.

Ita ſenſerat Verulamius, ſed falso; nam ſenile corpus non poteſt eſſe robuſtum, quia vetus, & rigidum, & exercitio virium eſt impar.

XXXVIII.

Si a ſomno corpus redeat ad conſuetum pondus abſque omni ſenſu moleſtiæ; bonum; ſignum enim eſt perfectæ concoctionis; ſi vero cum moleſtia, malum.

En hic adeſt machina, quam ſenſus regit plus quam ſtatera, & ipsa multo magis fidus. Æquali enim pondere, ſi non ſuccedat alacritas, vel ingenti nixu ad expellendum ſuperfluum opus fuit; vel quos ſuſtulit natura nondum coctos humores, illi malam qualitatem intra corpus reliquerunt.

XXXIX.

Corpus ob externa errata non labitur in morbum; niſi antea aliquod viſcus habeat præparatum: præparatio hæc cognoſcitur ex ſolito majori, ſeu minori pondere, non ſine aliqua præcedenti moleſtia acquiſito.

Præ-

Prædisponens causa efficit, ut causa efficiens activitatem suam adipiscatur. Hæc vel a continuatione agentis causæ pendet, qualitatem malam sensim inducens, ut in scorbuto; vel a contagio sese multiplicante; vel a visceris cujusdam aut innata, aut adventitia labe, quæ dum symmetram partium compositionem turbat, pondus aliquod in ægra parte saltem ad sensum inducit; licet multi morbi lethales invaserint homines sine ulla propbasi.

XL.

NATURA, dum in perspirandi officio est impedita, incipit statim in multis deficere.

Et vice versa dici potest, dum natura in aliquo deficit, incipit minus perspirare. Functio enim per universum corporis ambitum diffusa a collectione virium pendet, quæ si in una parte deficiant, vacillant in omnibus.

XLI.

DUM caput dolore gravatur, statim corpus incipit minus perspirare, & ponderosius reddi.

Quanquam sententia hæc sit prioris corollarium, notandum est primas teneri a mem-

brana Schneideriana , in perspirationis suppressione tum facienda, tum sentienda ; illa enim primas agit ob nervorum communionem, atque viciniam in dolore capitis ; nec minus cruditate chyli ejus secretio perturbatur , notante rem Hippocrate. Ea etiam frigore afficitur, quoties vel os, vel dentes glacie tanguntur . Quæ omnes causæ caput dolore afficiunt, adeoque patet non unam esse causam , quare, capite dolente, supprimatur perspiratio, & vicissim.

XLII.

PRIMA morborum semina tutius cognoscuntur ex alteratione insolitæ perspirationis, quam ex læsis officiis.

Semina, ait, morborum, non morbi, qui a quacumque causa pendeant, perspirationem vitiatam semper supponunt . Sed statera non opus est ad illa morbosa semina deprehendenda . Cognoscuntur enim 1. a causis evidentibus non unius diei ; sed plurium in corpus agentibus ; 2. ab imminuta alacritate ; 3. a sensu ponderis ; 4. a caloris, & frigoris vicibus ; 5. ab horripilationibus ; 6. a pondere ad nares.

XLIII.

XLIII.

Si ex ponderatione videris consuetum perspirabile retineri, & sudorem vel lotium post aliquos dies non facessere, inde cognosces, retentum prænuntiare futuram putredinem.

Id est, retento perspirabili, fiet vel crisis, vel morbus. Nam nascitur plethora excrementorum, quæ cacochymia. Retenta vero excrementa tandem putrescere, vel universalius sumpto nomine, corrumpi necesse est.

XLIV.

Si vero ex ponderatione videris ob caussam violentam perspirabile plus solito evolasse, scias in locum perspirabilium violenter evacuatorum, statim confluere cruda, & in meatibus minimis impingi.

Coctio, placiditatem circuitus, ut perfecta fiat, supponit. Hinc non omnino indifferens est, quo tempore exercitio nos dedamus, ut dicetur alibi. Nam si crudis tumidum agitetur corpus; hæc in motum acta, expulsis tenuissimis, vel infarctum inducent, vel febrem.

XLV.

Quæ impinguntur; si fieri possint secundum omnes partes fluxilia, seu perspirabilia, bonum: sin minus, pars continens prius fit dura, coriique speciem referens, & deinde scirrhosa.

Impactio duplex: subita altera, sive fluxio; altera sensim facta vocatur congestio. Hæc sine erethismo, illa cum erethismo. Subitum est perspirationem supprimi, præcipue matutinam; unde dolor laterum, narium impletio, frigus horrificum; indeque si educatur sanguis coriatea pelle protinus nata coopertus reperitur. Quæ pellis, ab exhalante e lympha liquido, crassioribus per frigus densatis, & strictorum vasorum cutaneorum arctatione producitur, coaguli more. Si sine erethismo fiat congestio, hærebit in vasis pars addensata, fietque infarctus, scirrhi primordia; nisi blando naturæ calore solvatur nondum indurata obstructio.

XLVI.

Si perspirabile neque a natura, neque a calore febrili resolveretur, corpus illico ad malignam febrem prępararetur.

Febris, nixus est naturæ ad solutionem necessarius, calore, actione vasorum, humorum tritu æque utilis. Si nixus ille fiat inutilis, sive ob virium defectum, sive ob causæ magnitudinem, mors, natura devicta, ex rei necessitate, advenit. Nulla porro malignior febris, quam quæ, cum inflammatoria non sit, deducit ægrum ad mortem.

XLVII.

FEBRICITANTES in pejus æque incidunt, si a medico imperito medicamentis importune exhibitis illorum perspiratio divertatur, ac si ab erratis ægrotantium.

De levibus catharralibus morbis propositio intelligenda est. Nam in gravibus de perspiratione vix agitur, quæ, nisi cessante morbo, non potest restitui; saltem cocta illa, ab alimentorum coctione pendens, & tota hygiastica.

XLVIII.

CASSIÆ pauxillum non divertit perspirationem, non lædit vires, sed solum aufert e corpore inutile pondus: aliæ vero medicinæ magis evacuant, & remotiores partes attingunt, & corpus magis leve efficiunt: cibus tamen, & potus subsequentes implent evacuatos meatus, inde alvus, & vesica exsic-

ſiccantur; & paulo poſt corpus ſæpe ponderoſius redditur.

Jam pridem Hippocraticum illud notum eſt, alvi denſitas, cutis raritas, & viciſſim. Divertunt perſpirationem diuretica; divertunt & cathartica: ſi eccoprotica exceperis. Cætera cathartica & multum humoris utilis abſumunt, & ordinem naturæ interrumpunt. Hinc, purgante ſumpto, ſitis, notante Hippocrate. Ergo per ſe mala ſunt, per accidens bona. A purgante ſæpius oritur laſſatio ingens, ſeu pondus ad ſenſum, licet ſæpe pondus ad ſtateram minuatur inſigniter. Id in hydropicis quotidie videmus.

XLIX.

Quilibet corporis dolor, ſive labor, coacti perſpirabilis tranſitum impedit.

Vide Aphoriſmum XL., & XLI.

L.

Quodvis frigus, minimum quidem, quod noctu dormiendo patimur, impedit perſpirationem.

Corpora noctu minus caloris ingenerant, dum laxantur omnia vaſa, amplioraque circulanti ſan-

sanguini patent. Sublata resistentiæ parte cor lentius pulsat, sed æqualius, & quinque aut sex gradibus thermometrum descendit. Hinc stragularum vestium necessitas; quæ vigilantem opprimerent. Implentur ergo minima vasa, turgetque evidenter in infantibus facies. Hinc, notante Gortero, perspiratio in dormiente minor, major in vasis coctio, licet ob laxationem, sæpe humidiora, aut calore externo gravata corpora insudent. Si ergo loco placidi, & undique diffusi caloris, frigus arctet vasa, eorumque laxationi obstet, turbatur præparatio ad perspirationem legitimam, seu coctio minor fit. Pervertitur ergo perspirationis ordo, & copia imminuitur.

LI.

UNA ex frequentioribus causis, quæ tempore æstivo impedit transpirationem, est crebra in lecto corporis agitatio.

Agitatio in lecto signum est crudi vasa vellicantis, & calorem adaugentis. Unde sæpe perspirationi nocet usus liquoris Caffè, liquorum spirituosorum. Sudor ab hisce prolicitus, corpus ad stateram levius facit; sed nunquam ad sensum, qui de legitima perspiratione sanius judicat ac statera.

LII.

Tres sunt internæ causæ prohibitæ perspirationis, occupatio naturæ, diversio, & vires imbecilles.

1. Natura uni functioni intenta ab altera revellitur. Probat id morborum, imo & sanitatis historia; qua patet attentos ad aliqua vix concoquere. 2. Si liquor divertitur ad alia non sufficit. Probat illud sitis post catharsim. 3. Si vires deficiant, omnes functiones languescere necesse est: ergo & perspiratio minor est.

LIII.

Hinc ex staticis patet, in die medicinæ, & ab assumpto cibo trium horarum spatio, exiguam fieri perspirationem: in die medicinæ, intenta est natura evacuationi sensibili, ab assumpto cibo primæ concoctioni.

LIV.

In fluxu, & vomitu prohibetur perspiratio, quia divertitur.

Hi aphorismi nihil aliud exhibent, præter corollaria præcedentis; utilia sufficiunt præ-

ce-

cepta, tum medicis ad medicamentorum præscriptionem, tum iis qui de sanitate sua solliciti sunt, ad exercitii tempus, seligendum.

In hisce internis perspirationis impeditæ causis, nullam mentionem injecit Sanctorius plethoræ, quæ vires imminuit, dum illas gravat. Tenacitatis, ac viscidit.itis humorum; quæ crasiores sufficit partes, quam ut per poros in vasa cutanea exhalent. Acrimoniæ, quæ dum cutem vellicat, claudit per erethismum ostia, sicque perspirationem impedit.

LV.

AMICTUS valde onerosi sunt impedimento perspirationi; quia vires debilitant.

Corollarium itidem præcedentis. Sed quis est, qui onerosas vestes, viribus incommodas non rejiciat? Secus enim corpus bene vestitum, præsertim inconstante anni tempore, perspirationem fovet.

LVI.

NON qualibet hora corpus eodem modo perspirat, quia ab assumpto cibo quinque horis, libram circiter perspirabilis magna ex parte exhalare solet; a quinta ad duodecimam, tres libras circiter; duodecima ad decimam sextam (quo tempore occasio est alen-

alendi, vel medicandi), vix selibram.

Quamvis de copia perspirationis horis diversis exeuntis nil fixi, & firmi statui possit, quæ pro tanta causarum varietate variat ipsa, tamen summe notandus est ordo naturæ a Sanctorio observatus, qui occultos actionis ejus effectus, causas, periodos, primus sedulitate indefessa reseravit.

LVII.

QUI nutritur, vel medicamentis evacuatur, horis majoris perspirationis, quales sunt ut plurimum matutinæ, maxime læditur; quia a cibo, & a medicamento maxime divertitur perspiratio.

Regula hæc est practica. In eo quidem, quod spectat ad alimenta, probatum, & verum videmus præceptum. Circa medicamenta vacuantia, a Sanctorio ipso mutuabimur, eccoprotica perspirationi non officere: medicamenta vero purgantia ad sanitatem, adeoque ad justum perspirationis ordinem non pertinere.

LVIII.

MAGIS occulta, & insensibilis perspiratio nos sublevat, quam omnes sensibiles simul uni-

unitæ; a somno enim ante excretionem sesibilium excrementorum, quisque sentit se leviorem, quia revera factus est levior solito tribus libris circiter.

Prima illa levitas ad sensum a bona coctione pendet; oscitationibus, & pandiculationibus tamen excitanda: tunc ingens fit perspirationis fluxus, demonstrante Gortero. Et una, aut altera post somnum hora veram levitatem corpus experitur, tum ad sensum, tum ad stateram. Hæc plus juvat, quam cæteræ omnes vacuationes. Roboris enim universalis, & conspirantium in commune bonum omnium functionum est effectus.

LIX.

SPATIO unius noctis, sexdecim unciæ lotii plus minusve; quatuor coctorum excrementorum per alvum; quadraginta & ultra per occultam perspirationem evacuari ut plurimum solent.

In Italia, teste Sanctorio, quotidie corpora perspirant, libras quinque. In Britannia, Keilii experimentis, inter unam & triginta, unam & quadraginta uncias perspiratio continetur, sed nunquam ad libras tres ascendit. In Hollandia, Gortero auctore, ab unciis quadraginta sex, ad quinquaginta sex ascen-

ascendit, id est, plus quam tres libras complet, si libra unciarum duodecim habeatur.
In Gallia Parisiensi multo magis varietatis obtinet, licet nunquam ad Sanctorianam quantitatem ascendat; raro tamen infra Keillii calculum subsedit, nisi sævissimo gelu contineatur. Forsan vini levioris potus in habitum plerisque ductus, magni hic est in inducenda hacce varietate momenti. Certe nullibi terrarum adeo variabilis est aeris constitutio, quod ex comparatis tabulis variarum gentium metereologicis deprehendes facile.
Varietates perspirationis a prandio, ab exercitio, a somno, nemo melius prosecutus est Gortero. At præcepta generalia circa hæc statuere fere impossibile tibi videbitur, si non solum cujuslibet hominis naturam spectaveris, sed etiam usum stragulorum, calorem vestium, somni tempora. Durities alimentorum, ætas, sexus, potus natura, & copia in judicium adhibenda sunt. Nam, v. g., biliosis plus per alvum, minus per insensibilem perspirationem demitur. Senibus urina plus effluit. Mulier menstruata, minus ante, & per menstruorum tempus, perspirat; plus alvo fluit, determinata in hasce vias natura. Mulierculæ cachecticæ, & hystericæ vix perspirant; hinc ipsis vix fœdantur indusia corpori apposita. Præterea perspiratio medica, & sanitatis vel firmæ, vel labantis indicatrix, non unius, alteriusve diei computari debet, sed plurium mensium,

ſtum, in quibus, quantum ſummæ decidat, animadvertendum. Certe videntur dari hyemales dies, in quibus homo vix perſpirat, ſi præſertim matutino tempore ſeſe frigori expoſuerit: mirum tunc quanta vis urinæ exiliat, ſæpe ad libras tres, paucarum horarum ſpatio. Ipſe ſæpe nares catharrum ſentiunt paucis pariter horis reſolvendum, quaſi perſpiratio, ut in vegetantibus, nunc extra prorumperet, nunc intus eodem impetu ferretur. Repercuſſa eſt tunc perſpiratio, & fere omnino compreſſa, nec inſalubriter quidem, ſi homo exerceatur; nunquam enim aut alacrior eſt, aut robuſtior.

Corpus ſanum, ſemper aliquid liquidi, ſimplicioris forſan, & ſpirituum, æthereæque materiæ emittit. Tranſadigitur ſemper ſubtilioribus effluviis electricis, igneis, &c. Sed illud dici non poteſt perſpirare. Perſpiratio eſt reſiduum coctionis legitimæ, & perfectæ; nec fit, niſi ubi juſta alimentaris materiei copia intra vaſa cumulata eſt. Alia ergo perſpirationis forma eſt in infantibus, qui fere ſemper eſitant; alia in iis, qui ſemel, bis, vel quater in die comedunt, ut experimentis deprehendere facile eſt. Numeri ergo, & calculi Sanctoriani exemplum præbent, ſed normam non conſtituunt, pro tot diverſis caſibus variabilem.

LX.

Pluribus unica die naturali per insensibilem perspirationem tantum evacuatur, quantum per alvum quindecim dierum cursu.

Non omnino ea propositio consonat cum calculis Sanctorianis modo initis, ut attendenti facile patebit. Verum fatendum est, multis alvi constipationem esse obstinatissimam.

LXI.

Ut quid nostratum plurimi in omni ægritudine solum per alvum, vel per urinam evacuandum sibi proponunt; & de insensibili perspiratione vix cogitant?

Nec falluntur; nam perspiratio, qualem Sanctorius describit, ad ægritudines curandas non pertinet; nec, nisi finita ægritudine, unquam resarcitur.

LXII.

Si magis solito noctu perspiraveris, sed sine sudore, atque omni molestia, persuasum te habe de optima valetudine.

Propositio quidem vera; si loco criseos perspi-

ſpiratio illa major habeatur; nam qui plus aliis etiam humorem coctum perſpirant, non ideo valentiores habendi ſunt; imo exemplo ſeptentrionalium firmiora ſunt corpora, quæ minus perſpirant, notante Hippocrate.

LXIII.

Tunc quam maxime recedimus a morbo, quando pervenimus ad medium latitudinis ponderis ſalubris, non ob evacuationem ſenſibilem ſpontaneam, vel a medico factam, vel ob jejunium, ſed ob perſpirationem inſenſibilem, quæ fit a ſomno poſt optimam coctionem.

Nulla enim fit virium diſſipatio, ſed fruimur tantum fructu naturæ per ſe actuoſæ, nec nixuum operoſorum egentis.

LXIV.

Quanta conveniat perſpiratio cuilibet, ut conſervetur in ſtatu ſaluberrimo, ſic dignoſces. Obſerva mane poſt aliquam pleniorem cœnam illam majorem perſpirationem, quæ in te ipſo duodecim horarum ſpatio fieri poſſit: eſto eſſe quinquaginta uncias: alio mane, ſed poſt jejunium, hac tamen lege, ne in prandio præteriti diei exceſſeris, idem obſerva: ponamus eſſe viginti. Hoc

præcognito; eligas illam cibi, & aliarum causarum non naturalium moderationem, quæ te ad medium inter quinquaginta, & viginti quotidie ducere poterit; medium erit triginta quinque unciarum; hoc modo sanissimam, & diutissimam, seu centum annorum vitam duces.

Melius Gorterus medietatem sani perspirabilis auguratur ex quantitate perspirationis per plures dies assumpta. Dividit summam per numerum dierum, & quotiens pro quantitate sani perspirabilis sibi sumit. Verum hic, ut alibi, summum jus, summa injuria. Si quis arctiori sese regimini dediderit, imprudens, nec sibi, nec patriæ erit utilis; debilis enim fiet, & a minimo lædendus delicto; quod non sentiet quicumque se varietati aëris, ciborum, &c. assuefecerit. Hærens perspiratio per exercitia pellatur, tenuior, ac levius avolans, quiete retineatur, & incrassantibus. At centum annos spondere Dei est, non hominis; nec statera senectutem rigidam arcebit, quæ corpori e rei necessitate incumbit.

LXV.

Corpora virorum sana, & moderatissimo victo utentium, singulis mensibus sensu solito ponderosiora, unius scilicet, duarumve li-

librarum pondere ; & redeunt ad consuetum pondus circa finem mensis, ad instar mulierum, sed aër frigidus, cænosus, & humidus; facta crisi per urinam paulo copiosiorem, vel turbidiorem.

Licet rem in singulis hominibus arguere difficile sit, plura tamen ad credendum, id in adultis verum esse, inducunt experimenta. 1. *Capitis Hemicranicus dolor, pluribus menstrualis.* 2. *Hæmorroides pariter quovis mense recurrentes.* 3. *Fluxus urinarum crassarum periodici.* 4. *Vomitus pariter simili periodo regressi : quæ omnes singula viderunt. Verum ea periodicorum fluxuum redintegratio plus observatur in viris, quam in juvenibus ; plus in senibus, quam in viris, quibus viget perspiratio, & circa quos rem observare difficile. Si enim in uno res successerit, non idcirco eadem erit in altero observatio.*

LXVI.

ANTE dictam crisim menstrualem factam, vel gravitas corporis, vel corporis lassitudo persentitur ; & deinde paulo copiosiori urina evacuata, omnia sedantur.

LXVII.

CAUSÆ externæ, quæ prohibere solent per-

 spi-

ſpirationem, ſunt natatio in frigida; cibi craſſi, & viſcidi; intermiſſio exercitii corporis, vel animi; & in robuſtis nimia abſtinentia a coitu.

Non eodem gradu, nec eadem nocendi vi agunt cauſæ prædictæ. Nam frigus acre, & glaciale, dum ſtringit, roborat, & divertit tantum; imo robuſtiora efficit corpora, dum moratur cocti humoris impetum. Id & de natatione in frigida. Verum Aër cænoſus, id eſt, cum frigore humidus, laxat, retinet, & corrumpit humores. Alimenta etiam corpori proportionalia eſſe debent; ſin vero, craſſiora hærenti mucagine vaſorum ultima opplent. Idem de cæteris dicendum, de quibus alibi.

LXVIII.

Frigus externum prohibet perſpirationem in debili, quia ejus calor diſſipatur; in robuſto vero auget. Calor enim ad imum retrahitur, duplicatur, & deinde natura roboratur, quæ deinde retenti perſpirabilis pondus e veſtigio abſumit, & corpus fit, & ſentitur levius.

Vera pariter hujus aphoriſmi ſententia, non quod frigus revera augeat perſpirationem; repugnant experimenta. Sed quod ejus exeuntis

tis impetum retundat, cogatque materiem nutrientem diutius morari, & melius applicari. Debile vero corpus læsionem a retento perspirabili sentit, quia vires non sufficiunt ad supplendam vacuationem hanc naturalem per urinas. Robustum vero inde viribus suis augmentum fieri jactat, quia antequam fiat ad renes diversio, materiem omni nutritia dote exhausit.

LXIX.

STABILIOR, & diuturnior est sanitas illius corporis, cujus pondus multorum annorum cursu neque augetur, neque minuitur, quam cujus pondus annuatim variatur.

Res vera esse potest, si plurium varietatum sese mutuo excipientium consequentia sit æquilibrium. Nam nunquam variari perspirationem, ut impossibile est, sic foret nocivum; levissimum enim peccatum sentiretur. Nec plus alio perspirare, saluberrimum probavit Reaumurius. Densa nam vernice obducta Americanorum corpora sana, & robusta. Robustiora etiam, quæ minus perspirant corpora, edixit Hippocrates, libro de alimento. Coincidunt enim simul magna perspiratio, & solidorum raritas. Porro, quæ densiora sunt corpora, ea robustiora.

LXX.

Reditus ad consuetam gravitatem crudorum succorum additamento est malus , coctorum vero est saluberrimus.

LXXI.

Sanum fieri minoris ponderis solito , eadem supposita vivendi ratione , malum ; amissum enim , quod erat salubre , non est remissum .

Vel enim corrumpuntur , & corruptione , acredinem volatilem , qua effluunt impetu ingenti , alimenta concipiunt ; vel non concocta , densitatem illam non acquirunt , quae pondus solidis , imo & liquidis concoctis impertit . Unde in utroque casu levitas , liquida quidem e sanguine exiliisse probat , sed simul non reparatas fuisse vires , impossibili materiaealimentariae concoctione , & addensatione .

LXXII.

Excrementa alvi concocta , sunt multae molis , sed exigui ponderis : supernatant ob aërem inclusum ; & quae una vice excernuntur , nunquam librae trientem excedunt .

Su-

Supernatant, & levia sunt, quia nes compacta sunt per vim circuitus, nec coagmentata, aut fixato aere addensata, quas habent proprietates humores tenuissimi. Si tamen fiat criticus bilis fluxus, jam bilis gravis est; aliaque pars fundum petit, alia intestinalis scybalosa supernatat.

LXXIII.

Si unica die, ob aliquod erratum, libra perspirationis retineatur; natura triduo solita est illud retentum insensibiliter expurgare.

Id non a statera Sanctorius. Nam, si retineatur libra perspirationis, nec catharrum faciat, hanc una die, horis præsertim matutinis, natura expellit, partim per urinas, partim per cutis vasa; vel adjutrice febre ephemera. Sin minus catharrum facit, qui, pro vario erethismo, plus minusve durat. Sed raro intra triduum judicatur, aut solvitur.

LXXIV.

Tunc natura multum insensibiliter evacuat, cum per oscitationes, & artuum extensiones, retentum perspirabile excernere conatur.

LXXV.

LXXV.

Perspirabile habet duas partes, levem ſcilicet, & ponderoſam.

Id eſt, quæ in auras exhalat, & athmoſphæram homini peculiarem facit, unam, alteram, quæ cuti adhæret, & ſordes facit.

LXXVI,

Ponderosa pars adeo affluit, ut ex ipſa generentur animalia, ut cimices, pediculi, & alia id genus.

Nidum quidem mucoſum præbent ovis inſectorum excludendorum cutis ſordes, verum iis non præbent originem, quæ per ſe exiſtunt, & organica ab inorganicis naſci non poſſunt.

LXXVII.

A parte perſpirationis ponderoſiore contagioſæ infectiones una cubantium proveniunt: leve enim evolat; ponderoſum vero adhærens coinquinat.

Exit per cutem non unus, aut ſimplex humor. Sed 1. Ingens vis humoris aquei ſaponacei, ad ignem non concreſcentis, fæti ſpiritibus, ſive aliquo ſubtiliſſimo, vix odorifero,

ro, omnia pervadente liquido. 2. Haeret ad cutem, & moderatius exit moles crassior oleosa, saponacea, quae tamen aqua sola vix abstergitur. 3. Merum oleum, magna quantitate, partibus volatilibus refertum. 4. Mucus animalis, non minima mole omnia supervestit, & sordium nomine cutem inficit. Si enim sordes in cute residuas, & solidescentes eraseris, non omnes aeque solubiles, post aliquam in aqua moram, reperies: pars supernatat; pars alia ad fundum abit, sedimenti mucosi forma. Ad ignem vivum crepitant illae; imo & fusibiles apparent, mox difficile, sed tamen lucidissima flamma igniuntur. Omnes simul sumptae partes inflantur ad ignem. Odorem fortem, subtilem, mora foetentem, subtilissimum exhalant. Fit in aqua liquor inde foetidissimus, in mucum, & floccos abiens. A parte solida sordium harumce, aeris, & spumae, solo motu, ingens vis exilit. Ab harum consideratione lux ingens affulget morbis mucosis, impetiginibus, & caeteris morbis cutaneis, qui mucum hunc, seu tomentum muccosum vitiare valent, in quo etiam nidum saepe posuere insectorum ova calore excludenda. Imo & contagia intelliguntur; tum quare in aliis illa concipiantur, tum quare in aliis vanescant facile, pro atomorum contagiosarum natura, & volatilitate, in aliis fermentorum more multiplicentur, & quasi tardius intumescant. Sudor plus partium illarum soli-

lidarum elicit. Idem in equis faciunt præparata antimonialia. Hinc pendet plurimæ actionis medicamentorum alterantium explanatio.

LXXVIII.

Quibus aliquid perſpirabilis, in vehementiſſimis æſtivis caloribus, exhalare prohibetur, calor eſt moleſtus; quibus vero perſpiratio omni ex parte eſt libera, calor non moleſtus.

Impedito perſpirabilis humoris exitu acrior materia plus nervos vellicat.

LXXIX.

Differt majus pondus a minori æque ſalubri, quia majus plus accelerat ſenectutem. Eſto aliquem frui valetudine cum pondere ducentorum æque ac cum ducentis quinque: obſervavimus exceſſum illorum quinque magis accelerare ſenectutem.

Fateor me nullum cum phyſicis, imo cum obſervatione conſenſum huic propoſitioni reperire. Imo ſenectus a rigiditate fibrarum pendens nil cum iſta plethora commune obtinet.

LXXX.

LXXX.

CARO animata cur vivit, & non putrescit ut mortua? Quia quotidie renovatur. Cur pueri diutius, quam senes vivere possunt? Quia sæpius possunt renovari, incipientes ab infimo totius latitudinis pondere ad ultimum; sunt enim plurimorum salubrium ponderum capaces. Senes cur necessario moriuntur? Quia solum ultimorum ponderum sunt capaces. Sed cur solum illorum? Quia fibræ illorum sunt duræ, & ut tales amplius non possunt renovari; unde mors.

Non renovantur adultorum solidæ partes; ut probatur maculis, cicatricibus, imo & notis tinctoriis Karaibum. Sed renovantur liquidæ perpetuo nutrimento. Putrescunt mortuæ a corruptione liquidi in illas contenti.

Pueri diutius vivunt, quia latitudinem sui augmenti non accepere; vasaque flexilia, transmittere liquidum apta quotidie increscunt.

Moriuntur senes, quia indurescentibus omnibus, circuitum jam experiri nequeunt. Unde errabat illustris Verulamius, qui corpora, ut a putredine liberaret, indurare docuerat.

LXXXI.

LXXXI.

Qui ægritudine perniciosa corripiuntur, cur sanantur? Quia multorum ponderum salubrium sunt capaces. A corporibus enim ægritudines triginta libras auferunt, plus minusve; prout corpora magis, vel minus repleta sunt, & prout ægritudo magis, vel minus calida, & longa existit.

Sanantur ægri, quia fit materiei morbificæ, & hostilis coctio. Certe coctio facilior est in illis, quibus vasa flexibilia liberius perspirant. Unde carne densa gaudentes, edixit Hippocrates, saniores quidem vivere, sed difficilius reconvalescere. Raras vero carnes habentibus, fluxiorem quidem esse sanitatem, sed faciliorem a morbis recuperationem.

LXXXII.

Senes ob frequentia sputamina vitam protrahunt. Retenta, ut incapacia coctionis, vel digestionis, impediunt perspirationem; unde suffocatio, & mors.

Senibus cutis aridior; hinc, ut imperfectior coctio, sic perspiratio minor. Redundante ergo illos pituita diffluere, & aggestis excrementis necesse est; quæ si rectæ fluant, vitam

tam protrahunt. Hinc in illa ætate catharri non coquuntur, notante Hippocrate. Si retineantur illæ excrementitiæ partes, mox aderit suffocatio, non adeo raro subita in acerrimis frigoribus.

LXXXIII.

SENECTUS revera est ægritudo, sed diu protrahitur, si corpus reddatur perspirabile.

Debilitas necessaria comitatur senilem rigiditatem, actioni prorsus imparem. Hinc ab Homero balnea, & longiores somni, alimentaque levia suadentur. Vide & Boerrhaavium de diæta ad longævitatem.

LXXXIV.

INTERIMUNT senes, coitus; corporis actualis frigiditas; potio; Plus justo cœnare ut juvenes; plus debito irasci, & exerceri.

Quæ vires exhauriunt; quæ sputis cruditatem conciliant; quæ eorum copiam augent prætermodum; quæ motum iis nimium indunt; hæc omnino senibus officere necesse est.

LXXXV.

SENES ætatem decrepitam non attingunt ob

ob diminutas expultrices. Hinc, dum plus solito bibunt, minus meiunt, & minus solito perspirant. Remedio est, ut ablatio exæquet additioni.

Si ablatio exæquetur additioni, sanitas aderit, quæ ex omnibus corporis conditionibus tutior est. Sed rigidum senile illa non tollet, quod insanabile. Et si tardari posset illud, id per fotus, & dietam diluentes, & laxantes tolleretur. V. Boerrhaave l. c.

LXXXVI.

PESPIRATIO insensibilis non solum principum, sed unius partis infimæ vetita vitam tollit. Principum, dum in cerebro fit apoplexia, in corde palpitatio, in jecore polyæmia, & in utero præfocatio. Infimæ partis, gangræna.

Exhalatio unius partis vetita plethoram, vel cacochymiam inducit, si sensim fiat; indeque infarctus. Si subita fuerit hæc suppressio, catharros inferet, aut inflammationes.

LXXXVII.

DUM suffocantur mulieres, non fit ob uterum comprimentem septum; sed a frigidita-

te

te feminis corrupti non indigentis perspiratione.

Quid de falsis hisce physiologicis axiomatibus sentiendum sit, satis norunt vel physices simplicioris asseclæ.

LXXXVIII.

HUMORES podagricorum, etiamsi crassissimi sint, solum per modum vaporis resolvuntur.

LXXXIX.

VOMITUS urinam, & perspirationem divertit.

XC.

CORPORIS in lecto frequens circumvolutio, cum fiat omnium musculorum interventu, enervat; & coctionem, & perspirationem utilem diminuit. Remedio est in eodem situ obstinate quiescere.

Quot in volutatione musculi fatigentur, anatomici sciunt; cum totum corpus in uno puncto trahendum sit. Sed summæ huic defatigationi adde causam hujusce anxietatis. Titillationem reperies cutis vascula crispantem,

tem, atque constringentem. Adde loco blandi, & instaurantis somni, vigilias. En aderunt, plures defatigationis causæ.

XCI.

Dum genua actu calida conservantur, non algent pedes, noctu bene dormiunt, magis perspirant, & minus meiunt.

Experientia demonstrat, frigere unius partis, perspirationem plus supprimi, quam a frigore in universum corpus agente. Minor est scilicet adversus ingruentem causam partium renixus. Hinc quærebat Aristoteles, cur frigus pedum, somnos impediret.

XCII.

Profluvium alvi tollitur iis, quæ perspirationem augent, sicuti est balneum.

Res vera non erit, si adsit in intestinis vellicans causa; qua non sublata, tolli effectum impossibile est.

XCIII.

Sicuti magnes cum multo ferro, & vinum in magno dolio melius conservatur quam in doliolo. Sic corpora ponderosiora sa-

salubria magis robur conservant, quam cedentia a pondere per inediam.

Hæc paritas nulla. Nam etsi contraria docente Sanctorio vinum melius in doliolo servetur, quam in ingenti dolio, nulla inde ad corporis salubritatem conclusio educenda. Corpora ponderosiora specifice, id est, fibris donata crassioribus, minus causis impellentibus cedunt, quam tenuiora; inde salubriora dici possunt. Sic miles crassus ea facit, & patitur, quibus extingueretur fœmina.

XCIV.

Qui plus meiunt, quam bibunt, parum, vel nihil perspirant.

XCV.

In febribus intermittentibus, cur perspiratio insensibilis prohibetur? Quia humor peccans est in ambitu corporis.

Quia corpus crudis scatet, quia vasa constringuntur erethismo. Sed facta coctione, id est, mitificatis humoribus, & laxatis meatibus, resarcitur perspiratio.

XCVI.

In hydrope, non resolvitur aqua abdominis, quia ejus siccitas, & durities impediunt perspirationem.

In dydrope, vel rupta aut dilatata praeter modum vasa interiora lympham nimia stillant copia, quam ut possit resorberi; vel vasa inhalantia eam accipere non possunt. Quod vulgo a compressione venarum, aut arteriarum infarctu pendet. Nihil hic pertinet ad perspirationem, saltem partium externarum.

XCVII.

Humores calidi, & fluxi in aliquam partem calidis digerentibus tractantur, ut per insensibilem perspirationem resolvantur.

Non resolvuntur per transpirationem humores fluxione congesti, sed vi naturae, & repetitis vasorum oscillationibus tenuati, tandem liberiora per laxationem facta vasa subeunt. Ad hunc naturae scopum conferunt digerentia. Quae medicamenta, partim e mollientibus moleculis constant; partim tonicis, quae aliquem stimulum vasis obstructis impertiunt. Unde, sedato erethismo, mollis oscillatio nascatur in parte; quo allisu, & resultu humores rursus agantur in circuitum.

XCVIII.

XCVIII.

In magnis febribus cur lypothimia juvat? Quia ſudorem, & validam perſpirationem facit.

Lypothimia laxat omnia vaſa; jam nec remanet tonus, nec vaſorum actio; ſponte fluunt ſudores, & quaſi delabuntur.

XCIX.

Punctura nervi, ſi lacte, farina, vel ſimili claudatur, ichor retentus ita acris fit, ut moriantur convulſi, niſi oleo aperiatur vulnus.

Res, quæ etſi vera foret, ad perſpirationem non pertinet.

C.

In tumoribus perſpiratio utilis, ſi fiat humidis actu, & potentia; ſecus in ſcirrhum cedunt, tenue reſolvendo, & craſſum relinquendo.

Aphoriſmus omni ſenſu verus eſt, licet ad præſentem doctrinam non pertineat; nam vix ullus tumor eſt, cujus natura in ſcirrhum abi-

abire possit, qui non sanetur laxatione vasorum; stimulo vero nimis forti addito, non induretur.

CI.

Pars corporis, ut repleta sanguine, vel alio humore, ut in tumoribus, & in ipsa pleuritide, non est refrigeranda: quia evacuata materia, sponte refrigeratur.

Falsa hæc nixa theoria propositio nec ad usum applicari, nec ad doctrinam elucidari potest.

CII.

Hypocondriaci, si frequentibus balneis eorum corpora reddantur perspirabilia, & victu humido utantur; sani fiunt.

Quamquam hypocondriaci mali idæa sit extensior, quam quæ hic proponitur; solidis tamen erethismo tensis, humoribus aridis balnea conveniunt; non tam ob perspirationem, quam ob dilutionem: Convenit etiam victus humidus jampridem a Galeno commendatus, ut & omnia laxantia, si quidem nulla est methodus, quæ vasis prætermodum tensis, possit aliquem obtinere successum.

CIII.

CIII.

PERSPITATIO insensibilis, facta per fomenta in non purgato corpore, plus attrahit, quam resolvit, ut de Simone.

Hinc cruda alimenta in balneum ferre adeo periculosum. Cruda enim, impetu perspirationis post balneum auctæ, vacuantur; nec coctio fit, nec perspiratio utilis.

CIV.

CORPORA, quæ insensibiliter multum perspirant, neque purgantur, neque phlebotomantur; ut patet de pueris.

CV.

PETICULÆ cur fiunt? Quia maligni ichoris perspiratio impeditur.

CVI.

GANGRÆNA, iis, quæ perspirant, prohibetur; iis, quæ suppurant, fit sphacelus.

CVII.

PARS gangræna affecta cur moritur? Quia

arteriolæ ob ſanguinis copiam non attolluntur. Remedio eſt evacuatio ſenſibilis, & inſenſibilis.

Nec a doctrina perſpirationis intelliguntur hæ propoſitiones; nec eam illuſtrant.

CVIII.

Crassissimi humores in robuſtis per anguſtiſſimas vias tranant, ut patet de pinguedine per urinam: de mulſa injecta in pectus vulneratum: ergo per inſenſibiles meatus.

Craſſiſſimi humores poſſunt reſolvi, ſi tamen calore tenuari poſſint. Nam metallica, excepto tenuiſſimo mercurio, non reſorberentur. Robuſtis vero vis reſorbens, ex ipſo ſuo robore major. Sed nullibi major, quam in corporibus vacuis, teſte Simpſono, in Act. Edimburg.

CIX.

Per difflationem evacuatur materia utilis, & inutilis: ſi vero poſt ſomnum acquirantur vires, plurimum inutilis.

Inutilis, id eſt excrementitia. Utilis, id eſt alibilis. Hinc robuſtiores vulgo ſunt, qui minus perſpirant, Boreales populi. Hinc aliquando

do perspirationis habitum cohibuisse, ex arte fuit, Reaumurio indicante.

CX.

DIFFLATIO, quæ effugit sensum, est naturalis, & indicat robur; e contra vero sudor.

CXI.

SI quæ corporis pars hyeme valde frigescat, ita totum corpus consentit, ut coctio, & totius perspiratio minor fiat.

Quia universum corpus sensu regitur. Acrior porro est sensus frigoris in unam partem sævientis, quam in totum corpus incumbentis. Tollitur ergo plus æquilibris illius potentiæ, per quam pars altera supplet alteri: adeoque a partiali impressione plus timendum noxæ, quam ab universali.

CXII.

NATATIO vesperi tutior: mane ab aqua frigidiore meatus clauduntur; unde febris periculum.

A balneo quocumque, etiam frigido, increscit ad cutem calor, & postea perspiratio. Nec

Nec unquam, si experimenta sumpseris, inhalatio aquæ per balneum æqualis est difflationi, quæ balneum sequitur. De quibus vide Monerium, Act. Acad. 1747.

Natatio, exercitii genus defatigans, corpori tempore matutino admodum perspiranti admotum, dum a tergo trudit aucto motu perspirationem tunc copiosissimam, eam in vasis cohibet, frigore prementis aquæ. Quod frigus, ut sero minus, ita perspiratio pariter minor.

CXIII.

In æstate, si corpus jaceat detectum, prohibetur perspiratio: unde capitis gravitas, & corporis confractio.

Aphorismus erit verissimus, si loco perspirationis scribatur coctio ad perspirationem preparatoria.

CXIV.

Dum quinque, vel sex dierum cursu corporis pondus augetur, non statim, sed paulatim est tollendum: inedia enim summe rigida lædit ventriculum, cerebrum, & cor; mox totum corpus.

Quodcumque nimis subitum est, violentum esse, & periculosum, pronuntiavit Hippocrates.

F 1-

Fatiscunt enim vasa, quæ plus justo plena, deplentur protinus. Inedia vero etsi depleantur vasa, acredo putrida introducitur, non semper, ubi extitit, alimentis reparabilis.

CXV.

IN autumno augetur corporis pondus; quod si excedat salubrem latitudinem, fiunt tertianæ, seu aliæ putridæ.

Perspiratio, frigore autumni humido suppressa, si erethismum constantem inferat, febrem accersit continuam putridam. Si lenior veniat, sed cum alvi saburra periodice contingat, febres intermittentes creat. Hinc illæ locis paludosis, frigidis, & humidis endemicæ sunt.

CXVI.

EXTREMA frigida in acuta febre, nisi incalescant, lethalia ob adiapneustiam.

Non ob adiapneustiam; sed ob fatiscentiam virium, & languentis inde circuitus penuriam.

CXVII.

NIHIL magis nocet ulceribus malignis, quam

quam quo prohibetur perspiratum; ut adeps, oleum, & cera.

Ob retentum ichorem; ob rancescentiam oleorum laxantium. Sed non, ob prohibitam perspirationem.

CXVIII.

Quotidiana, sola ex intermittentibus non caret periculo; pituita enim in prohibendo perspirationem primum locum tenet.

Dixerat Hippocrates, febrem, quacumque ratione intermittat, carere periculo. Quod non adeo verum demonstravere Torti, Ramazzinus, Valcarenghus. Rebellem magis cæteris quotidianam, adeoque & magis periculosam, consentiunt omnes.

CXIX.

Constipata perspiratione in cervice, stupescit sensus pericranii: ut deambulantis sub vento, & pluvia.

Duas obtinet partes Aphorismus noster. Altera ab observatione pendet effectus frigoris in cervicem, quod mihi nares præcipue afficere visum est, & rigores in musculis summe cruciantes inducere, Rheumatismi, & lumba-

baginis nomine apud authores dignoscendas.

Altera vero, occupatam erethismo glaciali naturam minus ad concoquendum aptam, jure designat.

CXX.

NIHIL magis putredinem tollit, quam larga ventilatio; non solum per inspiratum, sed etiam per meatus insensibiles facta.

Quantum ventus corpora sibi exposita siccet, norunt omnes. Hinc, nisi frigidus sit, perspirationi favet, & corpora animalia siccat. Aliunde, hærentia putrida dum rapit; dum atomos putridas in aera ambiens volitantes, hinc aufert, illinc contra affert; nunc putreditatem tollit; nunc advehit. At certe in perpetua aeris renovatione, majus adversus putrida præsidium est.

CXXI,

REFRIGERATIONES in morbis acutis indicant mortem, ut in Hermocrate; adimunt enim perspirationem.

Qua de causa, refrigeratio morti proxima sit, norunt omnes.

CXXII.

CXXII.

Post balneum, oleo meatus cutis condenſantur, hoc fine, ne humiditas alimentalis attracta reſolvatur; ergo oleum claudet in periculis, & non aperiet poros.

Methodus fuit antiquorum, oleo poſt balneâ uti. Imo & abſque balneo, ut flexilitatem conciliarent cuti; ſimul exercitiis mox ſeſe dedituri, pulvere obſtupabant poros, ac ſudores coercebant, experti parum ad id conferre olei ſolius applicationem. Nam oleum, niſiranceſcendo vaſa exhalantia irritet, perſpirationi non officit. Demonſtravit id plurimis experimentis, quorum corollaria, & producta dum viveret, ipſe mihi communicaverat R. Marteau Collega noſter Pariſienſis, imo & ab olei applicatione promoveri perſpirationem evicerat.

CXXIII.

Ea tamen victus ratio, quam quotidie minus perpendimus, pellit nos ad ſenium Philippi.

Ex morbo ſenium fit, authore apud Galenum Philippo, hypocondriaſi junctum, quoties vires nimiis exceſſibus defatigantur, unde jam actio-

actioni evadant impares. Excessus autem, vel defectus æque nocent, dum hinc vires exhauriuntur, illinc obtunduntur, si spernantur aureæ mediocritatis leges.

CXXIV.

DIAPHRAGMA contrahendo se ad suum principium, dilatat thoracem, dilatando fit inspiratio: se laxando, constringit, & constringendo fit expiratio.

CXXV.

SPHINCTER vero contrahendo se ad suum principium, constringit vesicam, & urinam continet: se laxando, dilatat, & eam reddit.

Ne mutila typis detur Sanctorii statica, subjiciuntur hic Aphorismi, quos addidit huic sectioni, cum hoc titulo.



DE PESTE.

CXXVI.

RES peste infectæ inficiunt, quousque durant proximæ, & remotæ causæ: unica tamen deficiente, cessat virus ad instar motus ho-

horologii, dum, rotarum unico irrito dente, quiescit.

CXXVII.

Peste non tactu, sed inspiratu aeris pestiferi, vel halitus suppellectilium inficimur. Sic fit. Spiritus vitalis ex aere inficitur; ab infecto spiritu congelatur sanguis; qui extra pulsus, carbones, nigras papulas, & bubones efficit. Si manet intus, mortem. Si totus pellitur ad extra, evadimus.

CXXVIII.

Si ad carbones, & bubones tota pestis pellatur; bonum; si minus, lethale.

CXXIX.

Non sponte inficimur peste, sed fertur ab aliis. Patet experimento monialium.

CXXX.

Non omnes, sed tertia hominum pars circiter peste moriuntur. Patet experimento vespillonum.

CXXXI.

CXXXI.

Qui putant nigrorem papularum, & carbonum indicare aduſtionem, errant: ſæpe enim ſenes, intus, & extra frigidi, citra febrem, inter biduum, cum eodem nigrore a thrombo profecto, decedunt.

CXXXII.

Si paucus ſanguis, ob corruptum ſpiritum vitalem, fit thrombus; hic ſi totus expurgetur per bubones, & carbones, ſanantur; ſi non totus, moriuntur, ut in nigris papulis.

CXXXIII.

Hinc, quibus anthraces, & bubones aperiuntur, ſi interna infectio tota exeat, ſanantur; ſi minus, moriuntur.

CXXXIV.

Modus frænandi peſtes duplex, ut ſani ſeparentur, & infecti ſe pandant. Modus, ut ſe pandant, duplex; ut ad loca illis inviſa non mittantur; & illorum ſuppellex non uratur.

CXXXV.

Peste inficiuntur facile rarum habentes pulmonem; e contra qui densum. Rarum habent, si facto maximo inspiratu, unicus pulsus ictus fiat quietior.

CXXXVI.

Pestis non est, ut ignis, qui, augescente pabulo, crescit; ipsa vero, eodem modo pabulo se habente, decrescit.

CXXXVII.

Radii pestis vento loco dimoventur; corporis lucidi nulla vi.

CXXXVIII.

Qui aliud remedium pro vitanda peste instituunt, quam fugam, vel sunt homines ignorantes, vel volunt æruscare.

CXXXIX.

Hinc nobilium fere nemo cum remediis; plebeii vero sine iis plures sanantur.

CXL.

CUR diu durat pestis?

Quia dum sævit, purgant res infectas, quas purgando fures clam disseminant. Post finitam pestem non inficiunt; secus pestis esset perpetua.

Quia infecti, dum vi mittuntur extra urbem, alii non se pandunt; unde infectio crescit.

Quia non prohibent populi cursum ad templa. Sub dio sacra essent exercenda.


Quia eligunt Chirurgos exteros, quibus quo major pestis, eo gratior.

Quia ab infectis non separant sanos in aliam domum.

Quia utuntur remedio interno pro peste, cum nullum detur, quod non noceat.

Quia permittunt mercatum pullorum, quos tangunt infecti; dein sani eosdem tangentes inficiuntur.

Hæc quidem axiomata, cum ad perspirationis doctrinam nullatenus conferant, satius prætermittere visum fuerat; cum vel ad ipsam cognoscendam pestem parum utilia sint.



SECTIO SECUNDA.

De Aere ad Perſpirationem ſpectato.



INTRODUCTIO.

AERIS pondus, licet veteribus ſatis cognitum, imo ipſa deprehenſum evidentia, ejus elaterem, quamvis non minus ſenſibus conſpicuum, metiri, & legibus comprehendere, nondum attigerat, ætas in qua vitam egit Sanctorius. Omnia hæc jam vulgata, vacuas aures hodie fruſtra diſtinerent.

Illud ergo nobis relinquitur expendendum ad Sanctorii dogmata aditum aperientibus, ut ex cognitis qualitatibus illis auguremur quid aer ad perſpirationem poſſit conferre, in quo noceat illi, quid contra, cum in ſtatu ſano maximum ſit inhalationum, atque vaporum apponendorum organum, poſſit corporibus atomo-

morum invehere: qua quidem in inquiſitione varias ponderis, elaterii que vices, ventorum motus, & in aere contentorum appulſum fas erit leviter perſtringere; revocanda enim potius in mentem ſuperſunt, quam docenda, quæ fuse annotavere, poſt ævi proxime elapſi phyſicos, Boerrhaavius, & ejus exſcriptor Arbuthnot.

Aeris pondus auctum, ſeorſim ab aliis qualitatibus ad corpus humanum ſi contuleris, certe plus virium in corpus exercere videbis, plus elaterio agere, adeoque plurimum favere liberiori humorum circuitui, reſiliendique vi aucta coctionem promovere, & inde perſpirationi nunquam adverſari. Hinc clariſſimi Wainwrigt (*) experimenta hoc in genere demonſtrant, plus virium exercere, imo & minus reſiſtentiæ oneribus ferendis experiri corpora animalium in aere gravi, quam in leviori; in ſicco, quam in humido; in ventis perflato, quam in torpido, & quieſcente.

At non omnino conſentiunt antiquorum voces cum recentium experimentis. Gravem vocabant veteres aerem, vix perflatum ventis, fœtum halitibus, aut arborum, herbarumque, vel animalium vaporibus vietum. Talem inſpirant depreſſarum convallium, herbidarumque, ac humidarum incolæ, denſum hunc, ac ſpiſſum vocamus.

H 3 Enim-

(*) *On non naturals.*

Enimvero annotatum eſt in convallibus illis præcipue, quæ inter juga montium hiant, & liberum ventorum ſpiraminibus aditum intercludunt, minus ex alimentis a tranſpiratione abſumi, minorem reparationis neceſſitatem, minuſque frequentem ingruere, quam illis, qui edita montium juga incolunt, apricorumque collium leves auras captant. Hinc vulgata loquendi formula vividior dicitur aer, qui in editis locis ſpiratur, gravior, & lentior, qui ad ima montium hauritur. Barometri fidem hic advocare foret inutile: falleret enim ſenſuum judicium, cum nunquam leviores videamur, quam gravi, atque ſuda athmoſphæra, graviora ſint corpora, quæ leviori, & pluvioſo aere inquinantur. Sed gravitas illa aeris, quam ſenſus arguunt, ſcilicet, quæ gravia facit corpora, videtur e-laterio compedes injicere, ſejunctis quaſi, & ſemotis a ſe invicem elementaribus aeris minus puri partibus; hæc a locorum poſitura pendet, quæ quaſi ſtagnantes lacus in atmoſphæra efficit, unde vaporibus effæta fit illa, nec pulmones expandit, nec a calore ſatis rarefit; hinc ab ipſa non vires recreantur, nec aura inſinuatur intus vitalis. Hiſce in locis reſpiratio quidem alta, ſed tardior, motus lentiores, & craſſior, obeſiorque corporis moles, imo & in craſſo Bæotum aere craſſam etiam mentis, ingeniique tarditatem timuere veteres. Contra vero montanis reſpi-

ratio

ratio celer, & facilis anhelitus, sed agilitas musculorum ingens, ipso accreta usu, procera, & gracilis corporis delineatio, vorax appetitus, unde iis, quibus innata est pulmonum debilitas, fugiendum hujusmodi aerem medici edicunt; rarescunt enim potentius, & facilius rumpuntur vasa pulmonum, minus aere compressa, & uberior perspiratio liquida nutritia absumit violentius.

Verum vitii hujus in athmosphæra innati fuga facilis. Nec inauditum fuit antiquioribus Empedocli, & Hippocrati ventos in depressas convalles immittere, & quasi fluenta aeris artificiosa conciliare, vel ignibus accensis vortices in ipsa athmosphæra concitare, imo & ignis potentibus spiculis afflare aerem, supplementumque radiis solaribus suppeditare.

Frequentius vero accitas aliunde proprietates mutuatur aer, quas multo intimius veteres, ut sensibus maxime obvias, suæ submiserant inquisitioni. Tales sunt calor, atque humiditas, ventorumque flatus, nunc alterni, & periodici, nunc instabiles, & inconstantes, quæ omnia maximi in doctrina perspirationis memen ti sunt.

Aere quidem frigido, in genere, sine erroris nota pronuntiari potest, perspirationem minorem fieri, verum distingui debet frigus aeris tum gradu, tum humiditatis, aut siccitatis miscela.

Frigus leve leves affectus elicit, nisi humiditati junctum sit, qua nulla alia conditio magis obstat perspirationi: dum enim frigus addensat glomeratos ad cutim vapores, ipsa cutis aerea humiditate perluitur, tanguntur aqueis partibus perpetuo attactu cutanea, ut & oris, narium, tracheæ, pulmonum, vasa maxime patula; truditur humor intus in hiantes poros, dum restitat, qui debuerat exhalare. Hinc quasi coryza fit perpetua, pulmonumque laxior humiditas. Cutis omnis undequaque turgescit; debilioribusque palpebræ noctu inflantur, diurna ambulatione pedes intumescunt. Unde etiam qui nocte humida, aut propter duram sortis injuriam, aut præpostera securitate, sub dio dormierunt, somno turgescentiam vasorum adjuvante, mane œdematosi reperiuntur, aut, si præ virium naturalium robore instantis œdematis periculum præsens superarint, immanibus ad articulos, ubi lympha tardiori circulo vehitur, cruciantur doloribus, testibus gravissimis, naturæ observatoribus Alpino, & Bontio. Hinc tot sunt, per hyemes nubilas & humidiores, catharri, qui per populum grassantur, musculos colli, Pharyngis, lumborum duris torquentes cruciatibus, & lympha opplentes, dura, crustosa, nec, nisi post fotus, & repetitos caloris solventis afflatus, perspirabili. Musculorum vis in spasmum tota vertitur, & sæpe si hac in sede lympham discusserit

ars

ars efficax hærentem, figit alibi sedem pervicax catharrus. Nec requies tot malis: Hiberni enim catharri in incautis, & parum arti auscultantibus, ante veris tempora, raro omnimode sanantur; at in infirmioribus naturis miserrime diram pulmonibus labis purulentæ notam affigunt, adeoque evadunt vix sanabiles. Hinc iis temporibus virium molimen adaugere audet ars salutaris, similique tempestate meracius vinum suadebat Hippocrates. Hinc vestimenta frequentius mutare, eaque sicca corpori apponere suadent omnes, & jure quidem, ac merito, nam cum illud quod humiditati junctum est frigus, mediocre sit semper, non adeo obstat glacialis strictura stagnantis cachexiæ corruptioni. Hæc sui generis corruptio scurbutus vocatur, pedum motum vinciens, coxis pondus addens, ora, gingivas, nares, tetro halitu primum, dein languidis ulceribus fædans. Quo morbo nulla tristior pestis infestat depressas, humidas, nebulosas regiones, aut maria simili aeris constitutione infamia, & nautis sævius incumbit gregariis, quibus aut vestium penuria laborantibus, aut siccitate tepidi lecti carentibus, languorem primo, dein & perniciem lentam, & exedentem affert. Stagnantis enim liquidi aquei vix calentis corruptio, spontanea est, & spirat acidum volatile, quo vel intimior ossium compages exeditur; febris vero, ut a lento, & frigido humore, vel tarde

de admodum, vel pessimo & ferali omine sub morbi finem tantum accenditur.

Verum frigus acre, & glaciale athmosphæræ ex ipsa sua conglaciatione siccum est. Hoc fibras quidem immodice stringit; hoc humores ad cutim properantes immodice densat, imo &, si fuerit acerrimum, si illi homo sese immobilem opposuerit, organa simul, & contenta, uno ictu sicco, gangrænoso destruet, vasa, & humores congelabit, unde frigus penetrabile, adurens dicebatur antiquis, cum & stirpibus, & animalibus liquorum soliditate accita mortem afferat. Interea ipsa superficies cutis arctata sanguinem vix admittet, inde in caput, & pulmones refluum. Ab hac causa ferales apoplexiæ, suffocationes subitaneæ, & perspirabilium humorum in nares, trachæam, pulmones, violenta retropulsio. Cordis ipse impedietur æquabilis motus, & sentiet ipsa illa corporis arx palpitationes, patietur polypos. Sed hæc omnia in maxima frigoris violentia, & incautis tantum experiunda; summæ enim vehementiæ summi effectus. Unde fit, ut apud extremos hominum Siberitas vegetatio lanqueat, facultates obtundantur, & humana ipsa progenies medium inter feras, ac cæteros homines videatur tenere. Hinc horridæ omnes illæ regiones, quæ septentrioni subjacent, nec fructuum felici proventu uberes sunt, nec gaudent hominum fæcunda progenie, sed paucissimis

tan-

tantum habitantur infelicibus, qui specubus defossi, hyberna otia agunt, nec dona cereris norunt, nec bacchi pocula, sed piscibus induratis vescuntur, & setis animalium velati maximam anni partem ad focum assident. Sed si minori, tolerabilique gradu frigus sævierit, dum meatus stringit, & obstruit, servata intus utili materie, vires sufficit, & ipsa fibrarum strictura alacritatem addit. Inhalatio tunc nulla, & in paucissima exhalatione corruptio tamen nulla vix morbis aditum præbet, præsertim ubi tali aeris sævitiei assuetum corpus sobriam exigit vitam. Densatio enim, atque siccitas a frigore inducta, nihil habet densitatis illius, & rigiditatis senilis, sed servati humoris intus beneficio flexile longo tempore manet corpus: unde frigida Norwegorum temperies longum senibus prorogare ævum observatur, nec ullis aliis in regionibus tot numerantur centenarii, sive sæculares viri. Adde quod hic vix dira serpant contagia aere nec concipiente vapores, nec patentibus corporibus. Omnibus hic ingens in corpore proceritas, & ad omnes motus agilitas flexilis, plus lymphæ, quam actuosi sulphurei principii intus exundare docet, quod & indicat flaccidioris cutis albedo, quæ iis præsertim populis competit, qui Septentrionales insulas incolunt, quibus fervor solis per brevem, sed æstuosam æstatem, humiditate temperatur.

Om-

Omnia prorſus contraria tibi calor aeris, in maximo ejus gradu ſpectatus, phænomena exhibebit. Rareſcit enim athmoſpheræ moles univerſalis calore ſolari, rareſcunt ſimul, & diſperguntur per illam diſperſi vapores, & omnia partium rarefactione laxantur. Tum vero, laxatis vaſorum omnium ordinibus, in corpore humano jam vires ſatiſcunt, quippe quæ tenſionem ſupponunt, & actuoſitatem: præterea vero, licet partium tenuium major copia evolvatur, earum maxima pars perit, avolat, & calore conſumitur, unde inertes, enerves, & ad agendum minus habiles efficimur. Nec enim ſine defatigatione ſumma, actio mediocris vix poſſibilis eſt. Ad motum vel minimum exilit ſudor, & tenuiſſima auferuntur, unde ingens quietis cupido, qua ſiccitatem, atque ſitim a calore naſcentem devitent, & retundant populi, quos afflat rapidi æſtus vehementia; nec ullæ vigent functiones præter eas, quæ ab acri ſtimulo liquorum ſumme tenuatorum pendent; ut ſunt venerei appetitus. Hinc factum eſt, ut, qui a borealibus plagis infelicioribus ad deliciis plenas, & luxu diffluentes auſtrales oras arma tulere, deſides, & fortioribus eorum lacertis impares populos cito ſubegerint. At ubi molliorem vitæ ſuaſit uſum loci ipſius male exoptata temperies, rurſus ipſi novis advenis, quod occuparant, ceſſere imperium. Hinc familiare fuit Romanis per æſtuoſas regiones bel-

bellantibus æstiva ingredi. Hinc etiam in calidioribus Europæ regionibus mos insuperabilis somnum meridiei tempore carpendi, ne vires collabascant. Cohibet enim somnus tum nimium cordis motum, ejusque effectus, tum perspirabilis crudi effluxum, sicque coctionem promovet, &, ut vulgari utar vocabulo, *refrigerium affert*. Sed non minima est caloris maximo gradu sævientis in pulmones actio, frequentior enim in calore respiratio, cum rarefacto aere minus partium vitalium ad pulmones appellat, cum minus dilatentur pulmones ab aere jam rariore, prætereaque deficiat illud ad quod anhelant, exsucci, & exsiccati tum tracheæ, tum bronchiorum meatus, & folliculi, refrigerium. Qui theoriam hanc adamussim deductam voluerit vidisse, legat hic Boerrhaavii immortalia experimenta, quibus exceptionem quamdam etsi impertiant nuperiora in Actis Academiæ Parisiensis relata experimenta, & Cl. Adanson in ipsa Nigritarum fervidissima regione institutæ observationes, possibilitatemque vivendi probent in aere summe calefacto, salubritatem tamen talis aeris numquam aut fas fuit, aut voluntas authoribus evincere. Hinc æstuantes omnes auram invocant etiam perfidam illam, & subdolam. Hinc linguam exerunt, hinc frigidiorem, & glacialem aquam, fructusque molles, & acescentes auro contra mercarentur, qui æstu cruciantur, dentibus

tibus ſiccis, labiis torridis, larynge, pharyngeque collapſis.

In hoc quidem calore ſicco per ſe, imo & ſummam inducente ariditatem, ut & in frigoris, & qualitatum omnium aerearum effectibus, præcipue ſi ad perſpirationem conferantur illi, diſtinguenda eſt eorum actio ſubita, & inſolita, quæ multo gravior, & periculoſior eſt, ab ea, quæ corpus a longo tempore circumveſtit, ita ut aſſueverit illius impreſſioni. Minus enim commoventur corpora humana ab aſſuetis.

Inde fit ut Europæis in calidiora Americæ loca deveɛtis labor importunus ſit, imo vix poſſibilis, Nigritaſque Africano ſoli jam pridem obnoxios, ad terram cultu ſubigendam fuerit neceſſarium advocare. Hi & æſtum patienter tolerant, & labores alacriter capeſſunt, quippe quibus nihil offerat inſoliti ardor ille irradians ſolis. Nec minus ſanguinis illorum compages etiam ad phyſicum aſpectum magis arida, & reſinoſa in vaſis, proportione ſibi propria, libere præterfluit, nec avolat. Adde quod & novas vires, & novum partibus robur inſpirent ipſi in nudos artus decumbentes radii ſolis, quorum non minima vis eſt in partibus infantium roborandis. Has infirmiores partes Meridiano ſoli objici ſuadet ars experta. Illi enim radii, ſi, quaſi in partem ſæpius ipſius oppoſitam, fixi maneant, non ſolum ei colorem peculiarem, ſed & robur

bur inspirant, ut norunt nautæ, milites, iique, qui, teste Luciano, gymnastice exerciti, & patientes pulveris, atque solis, pancratice valebant, & ad omnes solis, & caloris incursus stabant immoti.

Mechanice & peste sensibus impervia præsertim agit pessima illa aeris conditio, in qua atmosphæra æstuans calore summo humiditatem simul concipit; squalet enim tunc atmosphæra, vaporibus terrarum putrefactis, & aquarum illuvie, quæ cum animalium, & plantarum volatilibus miasmatibus cito, & certo corrumpitur; & per patula, atque hiantia ob laxitatem vasa putredinem eo facilius intropellit; quo magis perspiratio stagnat pariter ad cutim, nescia exire, ob fatiscentiam vasorum: imo & mucosa parte magis restitante cutis humidior volitantes atomos putridas quasi inviscat, & sibi apponit, adeoque & propria indole, & adminiculo atmosphæræ putrescentem concipit halitum. In hac ergo cœnosa aeris qualitate, perspiratio non solum minor est, sed & hærens illa corrumpitur, & febres malignas æstivis illis pessimis cænosis, & squalentibus locis endemicas facit; nisi simul adsit ventus, qui quasi hærentem putrilaginem avertat, sæpe iis, apud quos nata fuit putredo, faustus, atque felix, funestus illis, ad quos nil tale metuentes, tetrum, & feralem defert halitum. Nulla in alia aeris

Epicrasi, tot insectorum ova excluduntur, quorum etiam corrupta cadaverum vis aerem novo inficit tabo. Nec cibi animales servari pariter in tantæ aeris inclementia possunt; nec, si summa cura fuerint servati, sine aliqua putredinis nota concoqui. Unde religiosa, & salubris apud Indos ciborum animalium abstinentia, & toleratur facile, & feliciter celebratur. Porro is in corpore humano putredinis effectus est, ut vires illico proterat: unde rursus nata intus putredo exire non potest, prostratis, & labascentibus vasorum viribus actuosis. Nulla est ergo alia tantopere vitanda atmosphæræ constitutio, quam, quæ calori obnoxia, condensat simul, atque agglomerat stagnantium paludum miasmata, & in aere detinet fluitantia, & aversa a salubribus ventis. Hinc infames sunt Æthiopum, uberes alioquin omni fructuum proventu, campi quos per dimidiam anni partem nocturnæ fovent pluviæ, matutinæ nebolæ irrorant. Hoc enim tempore numquam non grassantur morbi epidemici contagiosi, imo & ipsa Pestis, anthraces, atque bubones pro crisi habens, videtur aliquando contagioso commercio in oras magis salubres deferri. Ab illa regione, quæ post superiores Egypti plagas posita jacet, jam tempore Thucydidis, jure commercii, subtile illud miasma Athenas usque devectum fuerat, tanquam ab Emporio. Nec est ergo, quod illi aut auri rivos, aut gem-

mas

mas, aut cardamoma, ac myrrhæ lacrymas invideamus, & præcipue calore loci, ac fervore sanguinis æstuantis enata tot animalium aromata, omni sensu subtiliora, Moschum, Zilbethum, &c. Nec salubrius degunt plerique Arabiæ ad rubri maris littora accolæ, quos calor humidus totos perfundit, & perfluit. Sed & in minori cæli inclementia, verum æstivo squalore metuendo, Græci omnes, præsertim qui mari viciniores sunt, pessima sibi promittebant; nisi flavissent Etesii venti, teste Hipocrate.

Quæ ergo summo in gradu populi illi, & patiuntur maligna, & aliquando ad nos advexere, in similibus tempestatibus opperiri fas est, minora quidem, sed nostris metuenda tamen corporibus.

Quid & quod in ipsa temperatioris cœli indulgentia, prompta & subita varietas, quæ in hisce locis potissimum eminet, vera est morborum a perspirationis vitiis origo. Quod vitium Galliæ nostræ præsertim in tractu Parisino proprium est, in quo, quæ matutina fuit aeris temperies, aut Meridianæ, aut serotinæ vix responsat. In quo omnia intempesta ab uno excessu in alium sæpe, vel una die fiunt. Unde nullibi tot catharri adeo cito sanandi, adeo cito recrudescentes, ita ut & ipsis morbis, genti exprobrata levitas videatur competere.

Perspirationi enim nihil adeo nocet, quam

subita quævis mutatio, & si, ut verbis Hippocratis utar, omnia fierent tempestiva tempestive, nulla omnino culpa in perspirationem inde caderet. Sed æquilibris brevi fieret illa. Quod quidem commodum ad aerem, in quo degebat Sanctorius videtur aliquatenus pertinuisse, alioquin multo plus ad stateram expertus esset varietatum, quas in aere gallico, singulatim annotare, difficillimum. At vero in externarum quarumcumque rerum impressionibus, illud notandum sedulo, atque iterandum; sensu machinam regi, adeoque, ad caloris, & frigoris effectus numerandos, non tam thermometri, non tam stateræ judicium esse advocandum, quam sensuum, & ab illis nascentium impressionum. Hinc calenti a lecto modica aura plus pespirationis supprimit, quam assueto horrens glacialibus spiculis Boreas. Hinc frigus pedum plus catharrorum advocabit, quam universa refrigeratio, & morsus. in rimosa aure depositæ auræ matutinæ, mag s sæpe officit, quam igne per diem, noctemque bruma sæviente caruisse. Hinc rustici rarius urbanis catharro laborant, pauperesque minus divitibus, quos vel maximis comparata impensis cura a frigore penetrabili non præstat immunes.

Varietatis vero illius prima, ac potissima causa, venti, qui nihil aliud menti offerunt, præter motum, vel magis vel minus vehementem aeris, unam, alteramve directionem affe-

affectantis, de quorum impetu, vorticibus, vehementia, dicere nostri non est instituti; nisi quatenus sæpissime observatum est in horrendis tempestatibus barometrum immensas pati varietates, nulla in alia aeris conditione experiundas, adeoque corporibus animalibus mutationes imprimi etiam, vix supputandas, sed quæ tamen ad perspirationem pertineant, cum mutationes illæ in vasculis angustioribus ex materiæ necessitate debeant maxime deprehendi.

Alioquin licet venti frigus inferant, aut æstum, aerisque temperiem penitus immutent, non tamen aer motus, ad thermometrum aere stagnanti frigidior, aut calidior est. Sed cum, renovatis perpetuo moleculis, cutim attingat, eam sensu sæpe frigoris, aut caloris afficiet. Adeoque respectu corporis quod sensus dirigunt, ejusdem erit efficaciæ, ac si revera illis donaretur qualitatibus. Ventus ergo vel laxat, vel stringit, vel madidis Notus alis, perpetuo humore cutim imbuens, eam & a perspirandi officio prohibet, & contra cunei in modum partes aqueas intrudit. In genere tamen cum ambientem dispellat atmosphæram corporis, partesque auferat circavolitantes, siccat ventus, & illum vaporibus fœtum; aerem, vixque elasticum, corpora quasi obvelantem semper pellat, & abigat, universim venti effectus est partibus a corpore avolantibus facilem præbere

exitum, quod tanto potentius efficiet, quanto per se fuerit ficcior, & ab arenosis, desertisque, quales Lybia præstat, locis, flatus suos emiserit. Hinc jure, meritoque Sanctorius ventum in genere siccare pronuntiat, quod quotidiana demonstrat experientia. Nec unquam, notante Boerrhaavio, ventus effectus suos exerit vehementius, quam si aurem artificialem ex adversa fronte in ventum naturalem currendo tibi concitaveris. Sic enim duplicantur effectus, sive mali timendi sint, sive sperandi salutares. Quos quidem pro diversa applicatione multiplices, hic enarrare, & perpendere alienum a proposito foret, ad perspirationis doctrinam properantibus. At nulla tristior est a ventorum halitibus metuenda pernicies, quam quæ a venenatis, atque volatilibus atomis, per calorem diurnum dispersa, per frigus nocturnum agglomerata moles, in hanc, illamve regionem desævit, & oscitantes orco devovet. Sui sunt pestiferi frugibus venti, sua labes tenellis adhuc pomis. Sæpe fœtida nubes hunc vastavit pagum, illo intacto, teste Huxhamo; ne loquar hic de tetra, quæ sæpe fossores avidos in medio minerarum opprimit, mephiti, aut de pestilentiali apud Arabas, & Persas satis cognito vento. Satis fuerit post tot authores, hic homini memorasse, quantas inter versetur insidias, quibus præcavendis nulla omnino sufficit providentia mortalium.

Ex

Ex hisce paucis, patet nihil magis ad salubrem perspirationem conferre, quam aeris justum, atque legitimum pondus, ejusque inculpatam elasticitatem; cujus ultimæ dotis in aere actio, in expandendis pulmonibus manifesta, in oscillationibus, activaque vasorum reactione obscurior, maximi tamen est momenti. Hinc, ut sine ipsa sanguificatio nulla, sic perspiratio nulla potest extare, atque vigescere. Licet enim aer elasticus non possit intra sanguinea fluenta in partes coire, & existere, tamen maximam ipsi actuositatis, & reactionis partem conciliat; qua possit sanguis comprimi, & non sine aeris emissione in seipsum fatiscere. Proprietas enim illa liquidis animalibus solis competit. Aliunde aerem ad ipsam perspirationem promovendam pertinere conjectari sinunt, tum ejus summa tenuitas, tum impetus, quo exsilit, tum in ipsum aerem actio, quem ad barometrum in folle vitreo inclusum primo quidem producit, tum destruit, experimentis ad Boylei, & Halesii mentem institutis. Adde hic ipsam sanguinis citissimam putrefactionem, quæ sine aere intus concluso nulla est. Ex quibus deducere licet quantum sit ad ipsam perspirationem aeris perpetuo renovati beneficium: Quæ sint ergo aeris rusticani ad perspirationem, & sanitatem speranda beneficia, & quousque tamen præferri debeat: adeoque qualis sit eligendus: qualis pro va-

ria corporum crasi tum in arte Hygiastica, tum in Therapeutica suadendus: Quod sequentibus Aphorismis Sanctoriana statera exequetur.



De Aquis ad Perspirationis doctrinam collatis.



Aqua omnium corporum, quæ sensus percellunt, simplicissimum, & inter naturæ instrumenta, sub caloris, & ignis imperio potentissimum, ita a magno Boerrhaavio ample, & ad naturæ normam, ponderata fuit, atque pertractata, ut de illa agere prorsus videatur inutile. Si enim aliquam aquæ sortiuntur inter se virtutum discrepantiam, proprietates illas a sua alienas natura, a corporibus intus solutis, atque reconditis nanciscuntur.

Ab hac ergo impuriori miscela, quam sæpe avide combibit aqua, nascuntur tot diversitates, quæ stagnantes, atque paludosos a puris, atque illimibus fontibus secernunt; hinc etiam aliæ aquæ cursu perpetuo per puriores arenas, exercitæ, limpidiores, leviores, a nativa simplicitate vix dum desciscunt, dum

dum aliæ, ducto inter telluris rimas contagio, putridum bitumen, amarore ingrato ora bibentum inficientes, referunt; aliæ ferri, aut cupri rivos secum advehunt; & per pallescentem ochram defluunt turpiter, aut aliæ frustra limpidæ alcalinos, seleniticos, aluminosos fontes constituunt, nec nisi ab aliena miscela aerem sibi jungunt elasticum, quo & vini saporem mentiuntur, & caput ipsum percellunt.

Quid referam hic, qua ratione aliquæ sint, quæ grandibus guttis saponem eludant, aut ipsum cogant in grumos; & qua de causa ipsa in aheno coquenda legumina aliquæ recusent admittere, ita ut sub ipsis flammis cruda permaneant illa. Tum etiam silentio premere licebit, & quæ ad explorandam aquarum gravitatem instrumenta concinnaverit Hydrostatice; & quæ ad detegendam contentorum in aqua, tum copiam, tum naturam artificia, adhibuerit sagax Chemicorum industria. Omnia hæc a doctissimis authoribus fuse pertractata ad nostri vix pertinent instituti rationem. De perspiratione agentibus, aqua, nihil aliud exhibet, præter potum omnibus animalibus a natura constitutum, qui, diluendis alimentis factus, ipsa sua simplicitate alere nequit, sed sine quo nulla materia nutritionem aut ingredi, aut facere, intelligi potest. Aqua enim & partibus mucilagineis, quibus tota conflatur machina,

solvendis sola par est, & ipsis agglutinandis, atque compingendis inservit aut sola, aut cum aere, cujus fixioris facti vehiculum est, & cujus ut fixi inertiam, cum in massam agglomerata est, imitatur, ita æmulatur elaterium, ubi in vapores undequaque vi ignis diffunditur.

Hinc ergo ubi in machinam accepta est aqua, duplex meditantibus argumentum observationis objicit. Primum quidem, dum humorum omnium quacumque nascantur illi, basim constituit, atque vehiculum. Secundum vero dum acria, & imminentia quæque diluit, detergit, abrumpit, & secum e corpore foras eliminat.

Si primo sub aspectu aqua in humoribus animalibus sese tibi lustrandam exhibuerit; ipsam aspicies, liquoris emulsivi sub forma, numerosis plenam partibus ab ipsa heterogeneis, quas liquidas servat perennis rapidi motus continuatio, & quas detinet in aqua, mixibilesque ipsi reddit mucosa interfusa moles, vinculi partes agens, ita ut, si ad se invicem, motu tardato, aut desinente, in mutuos amplexus ruerint, excidat quasi expressa aqua, & tractu temporis siccior remanere debeat moles.

Hinc facile est deducere, primum aquæ intra humores peccatum, in copia ejus aut aucta, aut imminuta versari. Deficiet si vel ab extraneis, intus, nulla ejus copia feratur; vel

vel si quæ intus latet, per actiones vitæ immodicas, extra auferatur, & absumatur. Utraque a causa exsucci, & aridi, si ita loqui fas est, humores, in mutuas uniones facillime coire appetunt, difficilius solitos cursus ineunt, & minima superare vasa, frustraneo impulsu, renuunt. Unde solidorum ardor, attritus, parca tenuiorum liquorum generatio, nutritionis impedimentum, exhaustio secretionum. Aderit sitis illa, effera, & atrox, cujus impulsui nullus est, qui resistere valeat, & ab aqua possit siti exustus temperare. His omnibus diluentia aquea medicinam præstant. At summæ solidorum, atque liquorum ariditati, aqua simplex, vix aliquid lenimen affert, cum vix aliquod cum solidescente, & quasi resinoso sanguine connubium ineat; sed cito quasi absorpta; & exhausta, ingentibus sudoris guttis cutim perluit, aut per urinas abripitur. Hinc ipsi sapienter aliquid tenacioris saponaceæ substantiæ admiscendum praedicant medici, cujus vinculis moretur illa, & intimius adunatis humorum globulis insinuet sese. Imo & parciorem ejus dosim sensim immittendam præscribunt, ne & impetu subito rapiatur foras, & tenuissima quæque secum avehat.

Contraria omnia sperare fas est, si exundet aqueus latex. Qui ubi nimium partibus alluendis exuberat, principia actuosa & evolvi, & perfici non finit. Scilicet quæcumque ma-

materiam nutrimenti præbent, ea, ubi in corpus intromittuntur, leviora sunt, & compacta minus humoribus, ad quos destinantur reparandos; densari ergo simul partes, & tenuari principia postulant, ut in emolumentum corporis cedant, si vero aqua simplici nimis onerentur, ipsa sua simplicitate mutationem recusant, nec possunt animalem adipisci naturam.

Præterea sejunctæ nimis a se invicem, & veluti dispersæ alimentares moleculæ, quasi extra mutuam actuositatis sphæram repelluntur. Hinc omnia, in malum, indeque in pejus ruere necesse est. Unde exundatione semel posita increscit semper illa, fatis infelicibus, laxantur solida, vappescunt liquida, vires fatiscunt, secretiones, & excretiones omnes, illæ saltem, quæ coctionem requirunt aliquam, aut desunt, aut pervertuntur. Hinc primo in gradu mucosæ omnes excretiones exuberant, nares stillant, pulmones fatigat anhelitus, & importuna screatio, donec albo corpore languor aquosus, nitentes primo falso adipe, dein languidos, & diffluentes occupatis cellulis efficiat; tum spontanea mucagine vasa replentur, languet ipsa cerebri actio, cor palpitationes experitur, omniaque illa pessimæ conditionis mala experitur sanguinis circuitus, quæ a levi cachexia ad usque hydropem feralem lente feruntur. Præterea si intra venas animalis vivi, & sani aquam injece-

jeceris, mediocri etiam copia, purissimamque sedulus selegeris, mirum est, quantum, ab extranea illa liquoris abundantia, convulsionum patiatur illud, quantos anhelitus, imo & præsentissimum infertur, vixque superandum mortis periculum.

Pudet hisce satis abunde cognitis diu immorari, cum aliunde satis probatum sit; nihil tutum esse in rerum non naturalium usu, præter auream mediocritatem. Nec multo magis erit insudandum in demonstratione hujusce propositionis Hygiasticæ, purissimam aquam esse iis, qui nulli malo medicinam quærunt, omnibus anteponendam; purissimam vero recte dici, quæ & levissima est, & ab omnibus heterogeneis maxime immunis.

Verum si peccandum est, tutiorem demonstrant experimenta illorum errorem, qui parciori utuntur potu, quam illum eorum, qui præconcepta opinione frequentiori aquæ potu abutuntur, quo tamen errore plures abreptos novi. Diluuntur enim hoc abusu salia, tenuissima quæque auferuntur, mucus ille nutriens partibus fraudatur tenuissimis, & salinis essentialibus, unde parte ædificii ruente, totam molem collabascere necesse est. Hinc, dum sub altero aspectu, id est diluentis medicinæ forma, aquam lustramus, nova nascuntur nimiæ ejus ingurgitationis incommoda, forsan iis, quæ ab ejus defectu nascuntur, pejora. De-

Demonſtraverat olim illuſtris noſter Dodartius jejunio, & abſtinentia potus corpora apprime leviora fieri, rem vero pervicacius abſtemius & vini, & aquæ Cl. Marcorelle, extra dubium comprobavit ſtatera Sanctoriana, & in numeros redegit. Novi ipſe doctum ſacerdotem, qui nullam omnino aquam præter illam, quam in miſſa quotidiana haurire neceſſe fuit, nec ulla vini pocula abſumpſit plures per annos. Is grandævus, levis & alacer, ſaluberrimos annos exigit, ſi aquam ſibi crediderit ſumendam, illico ſtomacho crudus, & ad motus ineptior. Nec ulla fortiſſimo ſeni cum alio homine intercedit differentia, niſi quod caloris arte facti impatiens, vix frigora ſentiat, imo & per ſæviſſimas hyemes feneſtris apertis decumbat in lectulo, catharrorum neſcius.

At res omnino aliter ſe habet, cum aquis illis mineralibus, quæ potu ſalubri medicinam invehunt. Simplicitatem enim nativam exuerunt illæ. Hinc medicinæ eſt, & quidem practicæ illis ſuam impendere operam, qua in re peragenda nullum certiorem, aut perſpicua illuſtriorem doctrina Clariſſimo Carolo le Roi in Monſpelienſi Lycæo profeſſore, ducem ſequi fas eſt.

Verum etſi ad communes uſus vitandæ ſint aquæ, minerali aliqua labe infectæ, multæ jacent regiones, quibus deeſt unda fontium purior, & nullo levare ſitim latice datur, qui non


non aliquam ſimilis contagii notam referat. Hinc multæ ſunt aquæ, quibus ſelenitica, cretaceaque nota a venis terræ, per quas trajectæ ſunt, inuritur. Hæ ſolvendis ad ignem alimentis ineptiores, ventriculoque duriores, imo & minimis canalibus aptæ obſtruendis, notante Haleſio, jamdudum carbone notatæ erant ab Hippocrate. Nonnullæ ſalem foſſilem parca quidem doſi, ſed delicatiori notandum guſtui continent, delicatulis inſenſæ. Nulla fere eſt, quæ non aliquam ferri portionem, aut ſapone levi bituminoſo, aut ſale dilutam ſecum trahat. Aerem vero plurimæ oleo, aut ſali leviter innexum ſubtili, ubi ad aera emicant, e nexibus impetu facto evolvunt. Verum priores ſi in balnea admittantur, cutem obſtipant, & perſpirationi, dum ſtricturam cuti addunt, etiam ſenſibus manifeſtam, ſummopere nocent, quibus efficacia ſtringenti proximæ ſunt vitriolicæ. Cæteræ omnes perſpirationi in balneis ſumme favent, inter omnes hac præeminent virtute; quibus bituminis ſoluti pars ineſt aliqua, ut in Arvernia ad ſtateram olim expertus eſt clariſſimus noſter Le Monnier. At quæ calidæ ſunt, & partibus illis bituminoſis, atque ſulphureis refertæ, etiam ad uſus adhibitæ internos, quantum exhalationem inſenſilem promoveant, norunt medici omnes, qui ægros ſalutis cauſa illis ſe ingurgitantes inviſunt. Sed iis nulla eſt ad

per-

perſpirationem legitimam, atque coctam eliciendam virtus, niſi dum vaſa aperiunt, & coctionem promovent; viribus additis languenti ſtomacho. Ab eadem causa idem efficiunt martiales aquæ, meatus reſerandos adeo famoſæ, quibus multi quotidiano uſu abutuntur mortalium, quarum tamen virtus, ut non adeo fluxa, ita etiam, niſi quatenus in ventriculum agunt, non adeo ſubita eſt. Clariſſimus enim With Anglus non minima laude dignus Medicus, facili experimento demonſtravit, cumulatum in inteſtinalibus tubis etiam ſubtiliſſimo, & arte facto polline tenuatum ferrum nulla ratione in ſecundas tranſire vias, & quod in fluidis animalibus reperitur coloris arbitrum ferrum, e proprio quaſi fundo naſci. Hinc e leviſſimarum etiam aquarum martialium uſu adeo nigreſcunt ſcybala. Mihi vero circa illud argumentum meditanti, quid acciderit narrare licuerit. Sumebat largius, ſanitatis inſtaurandæ gratia, aquas vir in Phyſicis exercitatiſſimus ad libras plures, mane, jejuno ventriculo, eaſque belle ut videbatur, per urinas excernebat: ſervatis, & ſepoſitis urinis hiſce injiciebatur quotidie infuſum nucis Gallarum. Nihil omnino colori erat mutatum. Idque repetitum tædioſa pervicacia per triginta integros dies. Withio aſſentiebamur. Cum ſubito ad trigeſimum diem nova nigredo a decocto Gallarum urinis infunditur.

Ab aquis jam temperare suadebat salubritas hominis servanda, & experimentis præponenda. Cessatum est. Nec minus tamen plusquam mensis integri spatio ferri notæ non obscuræ in urina apparebant, quæ tamen evanuere sensim. Adeo tarda fuerat, quam sanguis, & humores a ferro in intestinis cumulato traxerant, tinctura. Nec ergo fallaci spe Medici deludunt ægrotantes, quos sperata salus ad martiales adduxerat fontes, necdum exeuntibus adepta, desperat, dum monent, latere intus aquarum principia, quæ diuturno tempore tardiores effectus exerant, experientia edocti, quam hæc nostra comprobat observatio.

Ex hisce vero satis concluditur, varias illas in aqua qualitates, ejus quidem puritatem, atque simplicitatem immutare. Verum ita esse affabre factam corporis nostri machinam, ut etiam paulo pejoribus innocue assuescat, & inde sibi propriam conciscat sanitatem; norunt id de aqua Parisienses, qui in immensa civitate variis utuntur aquis. Sciunt enim omnes, quod ii, quibus familiaris est aqua ab Arcujulio petita, si defecerit illa, sequanaeque aquis utantur, illico in diarrhœam incidunt, ipso reddito aquæ salutaris usu sanandam, vel brevi ipso ejusdem aquæ continuato usu tollendam. Quod pluribus exemplis confirmari posset, si non quotidiana observatum illud firmaret experientia.



DE AERE, ET AQUIS.

SECTIO SECUNDA.

APHORISMUS I.

AER frigidus, & lavacra frigida, corpora robusta calefaciunt; eaque, auferendo superfluum, reddunt leviora. Debilia refrigerant; eaque, vincendo calorem, ponderosiora efficiunt.

Frigore aeris, frigore ponderoso aquæ stringuntur fibræ sensiles. Constituitur erethismus, quem vincit vis cordis valentior. Unde a balneo frigido, robustus, reactione aucta, plus perspirat; imo & calescit non mediocriter ad

ſenſum. Si vero debilitas obſtet reactioni, retenta intus pondus corporis augent, tum ad ſenſum, tum ad ſtateram: imo circuitui nocent. Unde cordis palpitatio, muſculorum convulſio, faciei lividus color, aſphyxia.

II.

Aer calidus, & lavacra actu calida, niſi obſtent cruda, juvant quoque perſpirationem; tefrigerant interna viſcera, & corpora efficiunt leviora.

Ea eſt balneorum actio, ut nullum perſpirationem, & exhalationem non augeat. Verum actu calida, perſpirationem, laxatis fibris, neceſſario augent. Imo crudus humor, laxato vaſorum tono, & vacuata eorum capacitate, in iis intrudetur. Unde ſæpe a balneo minus prudenter ſumpto, & ab athmoſphæra fervida pruritus, impetigines, morbi cutanei.

III.

Aer externus per arterias in profundum corporis penetrans; poteſt reddere corpus levius, & gravius: levius, ſi tenuis, & calidus; gravius, ſi craſſus, & humidus ſit.

Non per arterias penetrat aer in ſanguinem,

nem, ut credidere apud veteres multi, saltem aggregati forma, vel elasticus. Sed agit, tum in longum intestinorum tractum; tum vi pressionis in vasa, ut & in barometrum. Ita tamen ut qui gravis sit, & elasticus, corpora reddat leviora; qui levis sit, contra gravitatem illis conciliet, sublatis reactionis viribus, & imminuto elaterio.

IV.

Quanta sit aeris ponderositas, colligitur primo, ex majori, vel minori gravitate aluminis fœcum prius exsiccati in sole, & deinde aeri nocturno expositi. Secundo, ex eo, quia sentiamus majus frigus, quam quod observetur in primo instrumento temperamentorum: aeris enim humiditas, seu ponderositas linea est nobis frigiditatis. Tertio, ex majori vel minori incurvatione tabulæ subtilissimæ, præcipue ex pyro. Quarto, ex contractione chordarum testudinum; vel ex cannabe.

Omnia hæc instrumenta tubo Toricelliano, sive barometro cessere. Nec unum ex illis univocum est. Humiditas enim plus facit in illa, quam levitas aeris. Quas qualitates, nullatenus semper inter se esse proportionales, experimenta Physica demonstrant. V. *Gorter. in hunc Aphor.*

V.

QUANTA ſit aquæ ponderoſitas, facile intelligitur, ſi grave perpendatur in aqua; illa enim eſt levior, & per conſequens ſalubrior, in qua grave magis gravitat; illa vero in qua minus, eſt ponderoſior, & inſalubrior.

Pondus aquæ ab heterogeneis admixtis increſcit; unde in genere, quæ levior, & ſalubrior eſt.

VI.

AQUA gravior, & aer cœnoſior & ponderoſior, convertunt inviſibilem perſpirationem in ichorem; qui retentus, & deinde non reſolutus, magna ex parte in cachexiam faceſcere ſolet.

Aer cœnoſus, ſive, ad Galeni mentem, humiditate, & frigore vitiatus, caret elaterio; adeoque corpora efficit languidiora, & ponderoſa, & viribus deficientibus diffiationem præpedit, non reſtituendam in languenti corpore; hinc ergo corrumpendam. Unde naſcitur cachexia. Difflationi pariter minus apta gravior aqua; quæ nec diluat cibos, nec ventriculo proſit, unde prima coctionis elementa peſ-

pessumdentur. Sed ad hosce notandos effectus, constitutio tantum cœnosa, aut longus aquæ gravioris usus notanda sunt; una enim dies vitiis hisce inducendis non sufficit. Vide Hippocr. *De aere, locis, & aquis.*

VII.

In aere frigido salubri, prohibetur quoque perspiratio, densantur meatus; sed roborantur fibræ; & perspirabilis retenti pondus nec lædit, nec sentitur.

VIII.

In cœnoso prohibetur perspiratio; meatus implentur, sed non densantur; fibræ laxantur, non roborantur; & pondus perspirabilis retenti lædit, & sentitur.

Stantibus, integrisque viribus, imo a frigoris actione constrictis, reagentibusque fibris, perspirationem minori impetu fieri, imoque intus maxima parte cohiberi, machinæ plus utile, quam noxium esse docemur Borealium exemplo, qui plus robore pollent, quam Austri accolæ. Non enim omne inutile est, quod per vasa cutanea effluit. Sed ad augendum robur inservire potest mucus ille, qui nimiopere per aeris ardorem evolat. Adde & spirituum tenuiorum vim illam, quæ robori pluri-

rimum inservit, & calore dissipatur.

Si contra, frigori jungatur cœnosa illa humiditas, non augetur motus; sed stagnans a frigore cobibitus humor, ab aqua nimia inhalata vappescit, imo & subit corruptelam.

IX.

Si aeri æstivo frigus superveniat; illa die, supposita eadem bibendi libertate, tertiam partem circiter perspirationis exire prohibet; quæ, nisi fiat sensibilis, facile ad putredinem, vel ad cachexiam disponit.

Omne subitum in hoc perspirationis negotio metuendum. Hinc frigus subitum vasis perspirantibus appositum, effluxumque protinus cohibens, vel novam in natura concitandam postulat febrilem actionem; qua protinus expellatur moles cohibita; vel catharrum sua efficiat metastasi, crustamque sanguini inducet; aut, febre deficiente, cachexiam procreabit.

X.

Prohibita perspiratio facta ab improvisa frigiditate magis nocet debilibus, quam a sensim prohibita.

Sensim enim factæ mutationi natura assuescit. Præterea facilius suppletur quantitas par-

parcior, lenis fluxus, quam moles actuosa vi erumpens.

Unde, tum debilibus, tum robustis, lenta perspirationis suppressio minus ad sensum nociva est, quam subita.

XI.

OB aerem frigidum supervenientem calori, vestibus denudatus, minus duabus libris circiter diei cursu, perspirare solet, nulla ab ipso animadversa molestia.

Nisi tamen res debiliori accidat; & cui alia emunctoria non pateant. V. *Aph.* I.

XII.

AURA jucunda, & frigidiuscula corporibus excalefactis magis nocet, quam aeris, vel aquæ frigus in excessu: illa enim non reddit corpus levius, sed obstruit, & laxat; hoc obstruit, & roborat; & inde minus ponderosa corpora fiunt.

Quamvis rem non omnino veram crediderim, potest tamen intelligi, dum minus reactionis in vasorum activitate aura hæc concitat, quam frigus intensum. Certe Moscovitæ a thermis calentissimis sese in nivem volutant; quæ quidem extrema, cum corpus subi-

ta vi non perimunt, roborant certe; dum violentas in fibris procreant oscillationes.

XIII.

Malæ aeris, & aquæ conditiones, quando ad malignam putredinem disponunt, eorum pondus magna ex parte non animadvertitur; quasi quod ab eorum corruptela nervi fortiores fiant, perinde ac in phreneticis.

Si acre introductum, & vellicans hic intelligeretur, posset certo, concitato erethismo, vellicando vim febrilem inducere. At putredo vires prosternit, summamque inducit debilitatem, etiam in febrili motu.

XIV.

Natatio in frigida post exercitium violentum est jucundissima, sed mortifera: motibus enim oppositis nihil perniciosius.

Roborant excessus, oppositis si vinci viribus possint. Sed summo erethismo, summa liquidorum rarefactorum, subitaque densatione, circuitus illico tolli potest; & aut mors, aut morbus vehementissimus induci. Ut Alexandro magno, & Frederico Barbarossæ in Cydnum amnem accidisse legimus.

XV.

XV.

QUOD proditorie disponit viscera ad malum, sæpe nec grave, nec jucundum videtur.

Hinc ars constituta, ad quam delectus pertinet. Nam sæpe ruunt in mala mortales. Accepto per insitionem veneno varioloso, optime se habent ægroti, donec malum erumpat, nisi per pustulas, indomabile.

XVI.

AURA jucunda, & austrina cum exercitio violento, sæpe mortifera: ab aura enim adiapneustia; ab exercitio acrimonia.

Rem esse possibilem in debilibus, licet non adeo prævidendam, docet physice. Motu enim in acre liquamen humores verti possunt; quod acre, si cohibeatur, morbos, & mortem potest inferre. Sed exercitio roborantur corpora; aura exsiccantur; & fatigatio præpeditur. Hinc aliquam ad normam salubritas inde potest nasci. Summum jus, summa injuria.

XVII.

QUI quærunt a cœna auram frigidiusculam

lam magis quam par ſit, perſpirabile partis veſte non indutæ exire prohibetur ; nocte vero, vel die poſtero plurimi ſolent pati dolorem capitis gravativum.

Frigoris ſenſu vel in unam partem, vel in univerſum corpus accepto nimis incaute, præpediri coctiones, ſatis alibi probatum: ab ea capitis gravitatem catharroſam oriri pronum eſt. At frigus, quod faciem præſertim, nareſque, aut aures mordet, per ſe & ex ipsa ſua impreſſione infert gravedinem, & coryzam.

XVIII.

Si corpora derepente transferantur ab aere calido in frigidum, læduntur, quia redduntur majoris ponderis, quam par ſit; a frigido in calidum, læduntur, fiunt enim minoris roboris.

XIX.

Debiles magis hyeme, ruboſti æſtate perſpirabile retentum in urinam convertunt.

Debilium eſt plus per urinam amittere, quam per perſpirationem. Hinc mulieres minus perſpirant; plus effundunt urinæ. Robuſti ſemper plus perſpirant, ſed æſtate præſertim.

XX.

XX.

Ventilabrum prohibet perſpirationem; reddit caput ponderoſius, & calidius.

XXI.

Ventus ut cute frigidior; ſemper obſtruit, & ſemper lædit, ſed magis caput, quia magis exponitur.

Ventus, licet ad thermometrum aere ſtagnante non ſit frigidior, dum a calore corporis non incaleſcit, & perpetuo renovatur, ſiccat quidem corpus, partes exhalantes auferens; ſed aures, nareſque gravat, cohibendo effluxum, qui, a vento remotis, copioſior evadit: hinc partes vento diu expoſitæ, ſi ab eo removeantur, ad ſenſum caleſcunt.

XXII.

Ex anni tempeſtatibus, in univerſum, ſiccitates aſſiduis imbribus ſalubriores; reddunt enim corpora leviora.

In univerſum, ait auctor noſter, propoſitionem hanc ab Hippocrate exſcribens. Nam ſiccis, tenſis, & per ſe reſinosa humorum diatheſi gaudentibus, ſiccitates nocent.

XXIII.

Æstate temperata, corpora ſunt minoris ponderis, quam hyeme, tribus libris circiter.

XXIV.

XXIV.

ÆSTATE laſſitudo ſentitur, non quia corpus ſit majoris ponderis, ſed quia ſit minoris roboris.

XXV.

IN aere calido corpus eſt minoris roboris; tum quia cum perſpiratione exhalat aliquid bonorum ſpirituum, tum quia calor non eſt concentratus.

Ob laxitatem fibrarum, & liquidi ſubtiliſſimi exhalationem.

XXVI.

PER totam cutim digeritur ſemper aliquid a calido, quod ſecum etiam aliquid interni probi humoris aufert.

Etſi calor externus coctioni humorum faveat; dum vaſis laxioribus nulla erethiſmi nota imprimitur; ſi tamen præ ardore maxime præcipitem humorum effluxum efficiat, nocebit coctioni. Vaporat ejus effectu latex aqueus; aridioreque, & acriore ſanguine deſunt apta coctioni inſtrumenta. Quin & cruda ad cutem maxima feruntur copia.

XXVII.

ÆSTATE calore vexamur, non primo & per se propter aeris caliditatem; quælibet enim corporis pars est aere æstivo calidior: sed quia in aere æstivo, non est tanta frigiditas, ut naturalis calor sufficienter concentretur; quo fit, ut ita diffusus, minus possit perspirabile sua natura calidum insensibiliter excernere: quod retentum redditur acre, & est causa, ut magno vexemur calore.

Nocet calor externus, laxitate nimia solidis inducta, liquidorum rarefactione enormi, exhalantis liquidi perenni effluvio. Quæ omnia frigore aeris, & frigidis actu applicatis leniuntur.

XXVIII.

DUM corpora in summo æstu ob somnum nocturnum, vel diurnum abunde perspirant, vel sudant, redduntur leviora, & nullo illa die vexantur calore.

Corpora dormientia minus caloris producunt, ut ex thermometro evincere facile est. Refrigerantur ergo per somnum, & minus ad calorem apta fiunt. Hinc licet coctioni noceat su

sudor ille nocturnus, levitas ad stateram, & refrigeratio sequi debent.

XXIX.

Æstivo calori superveniente frigore eodem die, libra circiter excrementorum insensibilium magna ex parte difflari prohibetur.

Ratio habenda & invasionis, & corporum constitutionis, ut patet ex Aphorismis praecedentibus. Certe mirum est, quantopere augeantur urinæ in illis, qui robusti, a summo lecti calore, sese aeri frigido matutino exponunt; præsertim si minus vestiti fuerint, & vegeta gaudeant sanitate.

XXX.

Si æstas fiat similis veri, ut corpora reducantur ad pondus æstati debitum, excitantur sudores.

Aphorismus hic ab Hippocrate mutuatus, observatione non una a Galeno, Ramazzino, Medicis Wratislawiensibus, & Huxham, constitit. Scilicet, nimis tepida æstate non difflantur, quæ pituitosa hyeme fuerant aggesta. Hinc sero persusi homines, vi naturæ sudores experiuntur. Et ut Hippocratis verbis utar, sudores in febribus expectare oportet.

XXXI

XXXI.

In æstatis initio, si derepente vehemens æstus superveniat, fiunt lassitudines, quæ, licet post aliquot dies æstus magis urgeat, non perseverant, quia minuitur corporis perspirabilis pondus.

Scilicet minus commovemur, & afficimur ab assuetis. Laxatæ, & defatigatæ subito calore fibræ, ab impressione familiari reddita tonum recipiunt nativum. Et exhaustum liquidiori mole corpus, jam eo caret, nec novas patitur jacturas.

XXXII.

Eadem virtus minus laborat cum minori, quam cum majori corporis pondere.

Quo corpus ponderosius est, eo moles movenda major; eo ergo virium debet magis in actum exerere, & frequentius defatigari. Sed vires ponderi fibrarum solidarum corporis sani aliqua in parte proportionales sunt; nisi adsit, aut plethora, aut cacochymia, quæ artis indigent ministerio.

XXXIII.

XXXIII.

Perspiratio vi aeris, vel aquæ calidæ excitata, nocet, nisi ejus maleficium longe majori beneficio compensetur.

Negotium perspirationis coctæ, naturæ permittendum; nec adaugenda est illa, imo cohibenda potius in sano corpore. Sed hærentem illam impellere licet arti, quoties moras nectit, & stagnando nocet.

XXXIV.

Æstate interdiu, hyeme noctu, corpora robusta magis perspirant.

Noctu minus perspirari statera demonstrat, magis coqui. Æstate, perspiratio matutina sudo aere copiosior; hyeme, minor; quæ in robustis sine noxa suppletur urinis, vel resarcitur exercitio. At nullo tempore non est legitimæ perspirationi locus.

XXXV.

Adiapneustia, quæ æstate malignam febrem, hyeme vix minimam alterationem efficere potest: corpora enim acriori perspirabili æstate referta sunt, quam hyeme.

Du-

Dura nimis propositio aliqua parte vera est, æstate præsertim æstuante; qua, quæ exhalant summe acria sunt, adeoque plus vellicant, plus inflammant; variisque in quibus resident partibus moras nectendo, putredinem acerrimam possunt inferre, & summe prurientes pustulas.

XXXVI.

DORMITIO æstiva detecto corpore, vel sub dio, magna ex parte disponit ad putredinem, prohibendo perspirationem.

Præpedit coctionem incauta illa dormitio; si præsertim frigescat aer, ut sæpe fit per noctem; adeoque & præpedit perspirationem, & materiem perspirationis in pejus immutat. Hinc noctes frigidæ adeo periculosæ apud Armenos, teste Tournefort.

XXXVII.

ADIAPNEUSTIA non calefacit interna viscera, nisi perspirabile fiat acre ob moram; vel a calore extraneo; vel a motu violento.

Augetur acrimonia intromissis acribus, liquoribus non renovatis, calore aeris, motu corporis, prætermodum aucto. Si semel natum acre repellatur intus, semper malum est. Sed

L   *pro*

pro vario gradu variam infert partibus, in quas deponitur, noxam.

XXXVIII.

Dum frigus supervenit calori æstivo, nimii coitus noxa vix percipitur; si vero aer iterum incalescat, detrimentum præteriti erroris non leve sentitur.

Exhausta jam, a coitu, liquido subtiliore & fere spirituoso corpora, calor rursus laxat, & subtilissimis residuis exhaurit. Frigus contra cohibet, & retinet intus subtilia, quæ a coitu remanent; sicque reparationi corporis inservit.

XXXIX.

Coitus non immoderati maleficium, aere frigido concentrante calorem, æquali beneficio compensari solet.

Æquale beneficium frigoris vix crediderim ad reparandas qualescumque coitus noxas. Nam a frigore subtiliora quidem retinentur intus; sed non procreantur nova, quæ contra calor producere valet. Hinc calentium regionum incolæ in venerem alacriores; quam etiam melius ferunt.

XL.

XL.

In noctibus æstivis corpora ad febrem maxime disponuntur ob aeris varietatem : ineunte enim nocte aer est accensus ; intempesta vero nocte est temperatior ; in aurora frigidus . Unde solitum perspirabile in correptis somno, & stragolis denudatis cohibetur , & corpora ponderosiora fiunt . Quod noctibus hyemalibus non evenit.

Cur ergo æstas autummo, & vere salubrior, consentientibus omnibus? Quia quæ noctu cohibetur perspiratio , facile æstu diurno resarcitur . Nec minus tamen infames noctes æstivæ , cum aere patenti dormiunt homines ; unde tot colicorum dolorum genera in paralyses apud Indos abeuntia a frigore ad corpus æstuans relativo oriuntur . Ab hoc fonte plus convulsionum , quam febrium nascitur , teste Bontio, gravissimo in hisce auctore.

XLI.

Ab æquinoctio autumnali , ad solstitium hyemale , qualibet die minus libra circiter perspiramus : inde usque ad æquinoctium vernale incipimus liberius perspirare.

Non eadem proportio est in locis tempera-

tis, & in quibus sese excipiunt lentius, & moderatius vigent anni tempestates. Ut ex calculis Gorterianis patet ad reliquos collatis.

XLII.

Autumnus insalubris; tum quia perspiratio a superveniente frigore prohiberi solet; tum quia quod difflari prohibetur, acre & mordax fit.

Idem omnes clamitant medici ab Hippocratis ævo ad nostra usque tempora. Acre erat ob æstatis ardorem quod avolabat; retinetur illud necdum emendatum. Hinc tabum virulentum, & atrabilis.

XLIII.

Vitantur ægritudines autumnales, si corpus autumno non fiat majoris ponderis, quam dum erat æstate.

Hinc autumno debilia per artem vacuari corpora expedit.

XLIV.

Pondus sensim auctum, sensim minuendum.

Hip-

Hippocraticum est; quæ lente extenuata sunt, lente reficere oportet. *Nec subita vis medicamentorum conferre potest in restituenda perspiratione; ni subito illa fuerit suppressa, necdum induxerit erethismum.*

XLV.

PONDUS corporis insolitum non vere, sed autumno auferendum, frigidum enim superveniens pondere magis nocet.

Quia vere semper adaugetur calor, exhalationi, & coctioni favens; qui autumno semper minuitur, & coquentem motum sistit, & exhalationem cohibet.

XLVI.

NULLA autumno vexaberis ægritudine, si superveniens frigus inveniet te vestibus recte munitum; si uteris diureticis; & conservaberis in eodem pondere, ut ante.

Laudatum multis, & præcipue Frederico Hoffmanno axioma id habet periculi, quod deberent perpetuo augeri vestes, frigore increscente. Si vero te ipsum obduraveris, ingruet aliquod forsan periculum, sed robustior, & vincendo aptior frigori evades. Ab assuetis enim non fit impressio. Debilibus ergo

cautela hæc relinquatur, quibus pondus vestium pro viribus est. Diuretica juvant quatenus, perspirationis viis occlusis, vias aperiunt urinarias.

XLVII.

BENE munitus vestibus melius perspirat, & redditur minoris ponderis.

XLVIII.

QUI morbis ab humorum copia prodeuntibus, hyeme vexari sunt soliti, purgandi sunt autumno, & non vere; reducendique sunt ad pondus, quo fruebantur æstatis initio.

Autumno de pondere detrahes inutili, imo & de importuno; non de viribus. Vere operam ludis inutilem, vexasque humorem, quam cito difflavisset natura; si quidem sola peccat copia.

XLIX.

DUM vero morbi prodeunt a mala qualitate, corpora vere, & non autumno purganda; magis enim æstate, quam hyeme intenditur qualitatis malitia.

Pro-

Propositio hæc, non ut superior, universalis est. Scire enim decet, quid intelligatur per malam qualitatem. Putrida enim sola æstate invalescit. Iners vero cacochymia plus hyeme timenda est.

L.

Qui in fine veris præmature se vestibus spoliant, & autumno tarde induunt, in febres æstate, in destillationes hyeme facile incidunt.

Pejus est maturius justo vestes exuere hybernas, quam eas induere tardius. Assuetum enim calori arte facto corpus frigore verno percellitur; quod catharrosos morbos vel vehementissimos inducat, aut febres rheumaticas quocumque anni tempore. Fuit vero unde assuesceret propria vi corpus, non magis munitum vestibus per autumnum, contra frigus sensim ingruens.

LI.

Perspirabile retentum, ut acre, febres & erysipelata; ut copiosum, apostemata, destillationes, vel cachexiam facit.

Perspiratio secundum ordinem naturæ constituta, vel supprimitur cum erethismo, vel sine

erethismo. Si adsit ille, fit perspirabile materia inflammationum vel vehementissimarum, ex fluxione, ut ajebant antiqui. Si desit erethismus, oriuntur catharri frigidi, ut veterum more loquar, congestiones, destillationes, & ut Sanctorii vocem usurpem, cachexiæ vestigium.

LII.

EXTERNUM frigus concentrando calorem, reddit naturam tanto robustiorem, quanto ultra solitum pondus ferre quoque possit duas libras circiter retenti perspirabilis.

Hinc sereno frigore sentimur alacres, strictis fibrarum omnibus ordinibus. Quod si frigori illi per annos exponatur natura, spernendis ejus impressionibus satis robusta, mirum est quantam vim adipiscatur. Quod evidens erit conferenti robustum borealem meridionali languido, & inerti.

LIII.

CORPORA hyemis initio facile ad solitum pondus; æstatis initio magno labore ad æstivum pondus reducuntur.

Facilius enim est, illæsa sanitate pondus auctum tolerare, quam nimias ferre vacuationes.

LIV.

LIV.

SANITAS perseveraret, usque ad extremam senectam inculpata, si corpora quatuor anni temporibus æquali pondere semper conservarentur.

Liceat hic a Sanctorio discedere, & contrariam tueri sententiam. Inculpata enim a perspirationis copia dici possent; sed quid vetaret, acredine talia peccare corpora? Præterea hominem in illa moderatione supponere, quæ nunquam variet, pene impossibile est. Quam si semel assecutus esset, a minimo decessu duceretur in perniciem. Delicta enim vel minima sentiret gravissime.

LV.

CORPORA, quorum pondera anni cursu multum augentur, & diminuuntur, valde periclitantur.

Si ab excessu in excessum trahantur fibræ, varietateque oscillationum exerceantur, eos vel perire, vel robustissimos evadere, necessarium est. Hinc militiæ assueta juventus, adeo robusta; tot novitii milites intereunt.

LVI.

QUANTO major anni ſpatio eſt corporis varietas, augmentatio, vel diminutio; tanto eſt deterior illius corporis conditio.

Si ſtatim fiat ingens illa alternatio, periculoſa, & lubrica eſt. Si ſenſim, & in moderata varietate, nil magis robur indit, quam variis hiſce aeris conditionibus aſſueſcere, & indurari, ex Celſi conſilio.

LVII.

PONDERIS augmentatio, fit in principio autumni; diminutio, in principio æſtatis.

LVIII.

CORPORA, quorum pondus augetur, magis periclitantur, quam quorum pondus minuitur.

Pondus enim ſuperfluum eſt. Vacuatur tamen, ex Hippocrate, facilius ſuperfluum, quam reparatur amiſſum. Vide *Aphor. LIII.*

LIX.

CORPORIS partes tectæ ſalubriter perſpirant.

rant. Si vero a somno detectæ inveniantur, etiam ab aere calidissimo eorum pori condensantur.

LX.

AER plus justo frigidus, humidus, aut ventosus moratur perspiratum: unde qui domi continentur, ut fœminæ, nec tussi, nec catharro, nec inflammatione pulmonis laborant.


Res prorsus hypothetica est. In praxi enim impossibile semper eidem aeris conditioni assidere. Porro qui constantius ei assident, vel levissima de causa inassueti catharros concipiunt. Quibus nihil magis familiare est mulierculis. Testis adesto experientia.

LXI.

AER in urbe pejor aere ruris; quia crassior, & non perflatus appetitum tollit.


Licet hæc propositio in universum vera sit; & atomis aereum laticem vitiantibus jure infamis sit urbium athmosphæra, stercoralis, putrida, fumosa, & acido volatili scatens: Paludosa tamen dantur rura, effluviis inquinata noxiis, a ventis aversa salubribus.

SE



SECTIO TERTIA.

De Cibo, & Potu ad perspirationem comparatis.



INTRODUCTIO.

MATERIAM perspirationi præbent cibus, & potus. Instrumentum vero, quo formatur illa, quo propriam sibi naturam induit, quo tandem exit e corpore ad ejus salubritatem servandam, unum & idem est; cordis scilicet, & vasorum motus, quo liquida perpetuo impetu propelluntur, peragitur nutritio, & demum secretiones ab ea perpetuo renovandæ effinguntur.

Verum cum nihil aliud sit nutritio præter mutationem substantiæ, antea heterogeneæ, in propriam nobis, deperditæque prorsus parem substantiam; ipsa hæc operatio duplicem supponit instrumentorum efficaciam, sive

ſive duos ejuſdem actionis effectus. Primo enim quæ ſibi poterant aptari, & in animalem verti ſubſtantiam ſibi accommodat, in ſe ipſam vertit, & figurat. Poſtea vero quæ fruſtra viribus oblata eas eluſerunt, & prædictam mutationem non valuerunt ſuſcipere, expellit, & eliminat. Quæ quidem materiæ excrementitiæ non unius generis eſſe debent; ſed univerſales excrementorum fontes duo ex ipſa rei neceſſitate apparent. Primum enim genus eorum eſt, quæ conſlantur ex partibus, quarum mutatio per inſtrumenta fuit impoſſibilis, adeoque debuerunt ejici non ut inutiles ſolum, ſed ut noxiæ. Alterum vero genus conſtituunt fæces illæ, quas in ſuo labore, dum partes fingit, atque compingit natura, neceſſario efformat quaſi ab opere ſuo reſiduas. Nulla enim intelligi poteſt nova partium coadunatio, aut conformatio, quin multæ partes ex priſtina unione reſolvantur. Quod in fermentatione chymica fæcum nomine deſignatur.

Porro ut fæces illæ recte conſtitutæ ſint, & ad liberiorem exitum promptæ, neceſſe eſt ut coctio recte peracta ſit, & perfecta; fæcum enim principium eſt coctio, & ut vini generoſi fæces, a vappæ reſiduo prorſus differunt, ſic probæ coctionis reſidua, ab indigeſtis quiſquiliis abludere debent. Unde bonæ coctionis ſigna certiſſima non tantum a naturæ alacris vigore pendent, ſed etiam a le-

a legitima excrementorum natura, & a salutari eorum exitu.

Res vero plenius intelligetur, si licuerit universum materiæ nutritiæ ambitum, & ingentem instrumentorum concoquentium apparatum, parum per intueri. Materies nutritia nobis ex multiplici vegetantium, atque animantium ordine ita suppeditatur, ut nullum sit corpus in hisce duobus regnis, quod non partes alimentares diversis classibus sive plantarum, sive animantium offerat, nullum sit præterea quod partes nutritioni prorsus ineptas non intus servet. Utrasque nosse interest. A nutritiarum classe repudiantur, teste Hippocrate, omnes quæ simplices sunt, si quidem elementa, aut prima ex his conflata corpora mutari non possunt. Nullas præterea inter nutritias numerare fas est ex iis, quæ aqua solvi non possunt. Siquidem corporis nostri humores reparabiles tandem aqua solvuntur omnes. Nutrire ergo nec valet aqua, nec sal, nec oleum simplex, aut terra elementaris, sed cum his omnia conflentur principiis, superest universa illa, & per universum distributa inæqualiter rerum crescentium, & vegetatione organica gaudentium ordinem. Mucago quæ a prima extrudentis foliola plantæ simplicitate, cum primum audet se credere aeri ad ultimam puditissimi animalis putrefactionem, universam naturam, varios animantium ordines, alit, nutrit,

su-

mutetur in nitentem sanguinis purpuram.

Excrementitium vero casu, &, ut scholæ loquuntur, per accidens; evadet, quodcumque etiam aut alteri animalium classi, aut robustiori ejusdem classis alibile, non potuit ab infirmiori virium tenore tenuari, comminui, confringi: ita sæpe excrementa, lentibus, fabis vix mutatis, imo & farinosis tenacioribus scatent; quin etiam sæpe robustioribus equis accidit, ut avenæ integra semina adhuc germinandi facultate donata per alvum ejiciant. Nec minus excrementitium dici debebit, quodcumque eam a natura, vel a spontanea mutatione, partium tenuationem accepit, quæ ultra nutritionis limites transvecta sit, unde admittatur intus facile, ejiciatur facilius, tenuiori tamen excrementitiæ parti formandæ tantum idonea.

Porro omnia illa excrementorum genera ita distribuuntur, ita a natura dividuntur, ut, quæ vel per se sunt omnino insolubilia, vel duriora, & crassiora, ea per anum ingenti nixu, postquam haurientis naturæ viribus in loco clauso premente versata, atque subacta longo hæserunt tempore, extrudantur foras. Hæc naturæ non subjerunt penetralia, sed ab atriis exclusa primæ coctionis excrementa dicuntur. Quæ vero intus admissa, aut propter acredinem, aut ob copiam intra retineri non possunt, sed, ut ipsa peragi possit coctio, debent ante excludi, secundæ

coctionis illa dicta fuere excrementa; qualia sunt, aut sudor ille crudus, qui epulones, & bibaces statim a pastu perluit, aut urinæ crudæ, aqueæ, quæ sæpe surgentes a cæna fatigat, vinique levioris, & salini potum sæpe importune excipit. His enim semel exclusis moles remanet æquabilis, & apta in alimoniam effingi, & efformari.

At ubi omnia intimius mixta e chylo sanguinem, e sanguine humores peregerunt, quid superest, nisi ut excrementa ab hisce operationibus residua, simul iis remixta partibus, quæ in corpore motu quasi perpetuo veterascentes jam tenuitatem nimiam adeptæ sunt, expellantur, sicque universo coctionis, assimilationis, distributionis opere absoluto nascantur excrementa tertiæ concoctionis; ea quidem ut summe tenuatis principiis, ob repetitam naturæ actionem, conflantur, ita & densatas partes ob pressionem vasorum, quam experta diu sunt, obtinent. Hinc illa arguebat esse ponderosa Sanctorius, nec immerito.

Quod ut dilucidius novitiorum animis pateat, sequi licuerit materiem illam nutrimenti per varia, quibus necessario elaboratur, stadia. Alimenta primum contrita, & salivali liquido subacta intimius, & in omnibus vel tenuissimis particulis alte imbuta, & penetrata in ventriculum sensim excipiuntur. Ibi tum liquidi vi intus per masticationem in-

intrusi, tum reliquiis fermentescentibus novam afferentibus ad motum actuositatem, tum stomachi depluente perpetuo saliva fluorem conciliante, sese moles intus agitat, extricatur aer, evolvitur, & jam novæ incipiunt formæ. Mox saponacea bilis, & limpidissimus pancreatis liquor ulterius molem alimentarem animali donant indole. Adsunt alia ejusdem naturæ liquida, quæ inceptum opus peragunt intra longissimos intestinorum tractus, quorum tunicæ non vasis continentis tantummodo funguntur officiis, sed actuosis, & vivacibus fibris massam per iter longum perpetuo ita comprimunt, ita versant, ut per bibula hiantium vasorum oscula vario ordine, tempore diverso, fluidissimæ partes, & animali nutriendo maxime analogæ in ordinis altioris vasa intrudantur, novos formaturæ proventus. Interea exsucca moles partibus donata crassioribus, & mucagine animali, ut & oleo bilioso alte imbuta, fertur ad rectum, ibique demum hæret, & tenuata magis, magisque, fætidum contrahit odorem, putredini analogum, nec eumdem tamen, mox exitura.

Prodeunt inde scybala, levia ut plurimum ex partibus alimentorum duris, & excrementosa fructuum, atque seminum parte constantia, nec orbata adhuc mucagine partim ab ipso animali sumpta, partim ab alimentis, quæ vincere vis naturæ nequiit. Hinc tot

immutatæ sæpe in scybalis illis agnoscuntur corporum particulæ, tot stercore pascuntur fœda animalium genera.

At relictis illis sordibus, & quasi nova nitidus juventa, lymphæque connubio jam dives, in sanguinem sensim, & paulatim admissus chylus eum proluit. Ibi aliquam irritationem concitat, imo in debilioribus, 1. frigus, mox calorem procreat. Ut porro prima concoctio nihil perspirationi suffecerat, ita secunda hæc materies nihil eidem tribuit. Cocta enim a prima coctione, in secundam cruda sunt. Hinc licet, si nimia vapescat aqua chylus, vel si volatilibus nimis fætus sit spiritibus, multa possit exhalationi concedere; non tamen perspirabilis dici potest exiens materia. 1. Quod statera Sanctoriana demonstret id non contingere nisi ex aliquo vitio. 2. Quod ratio satis indicet nondum coctam materiem cocta excrementa dimittere non posse. 3. Demum quod vacuatio illa, etsi corpus levius reddat, non tamen efficiat alacrius, & ad subeundas functiones aptius. Interea vero materia alibili propior clausa servatur intus mixta jam inquilinis, atque genuinis confusa humoribus. Hæc repetita vasorum actione, versaturaque cum materiebus vere animalibus continua pristinam indolem in nativam vertit omnino, & donatur civitate. Scilicet motu illo tenuantur ejus partes, pressione assidua ad se ad-

du-

diluuntur, & denſantur, nova ineunt connubia, colorem novum induunt, fitque excrementorum generatio. Nam dum novas uniones ineunt, præteritas reſpuunt. Hinc nova novarum ſubſtantiarum progenies, partim ex priſtinis renovationem paſſis humoribus, partim ex recenter admiſſis, heterogenea tenuia ipſis mixta reſpuentibus.

In hiſce quidem naturæ actuoſæ laboribus tota conſiſtit nutritionis, aſſimilationis, & reparationis theoria. At licet materiei nutritiæ fundus idem congruat; non una eſt, imo contra prodigiali, multiplicique alterationis varietate, tum gradu, tum forma donatur ſubſtantia alimentaris. Quis credat ab eodem tenuationis gradu oriri ſubtiliſſimos, & quaſi æthereos, electricoſve cerebri ſpiritus, & muſculos, aut oſſa nutrientem materiem. Stat ſua cuique forma primæva infuſa ab origine, nunquam ſibi diſpar, numquam vicinæ ſimilis, unde admirabile illud naturæ ſpectaculum, concentu uniformi renovatur ſemper, fluxum, & mutabile in individuis, conſtans, & perpetuum in ſpeciebus. Detrahe verſicolori Pſittaco pennam hinc rubram, illinc cæruleam, renaſcetur ex propriis tubulis, numquam variabilis pluma, ſæpe quotannis decidens, tot annis renaſcens. Ex eadem fæcunda tellure, viola purpuram, candorem ſibi aſſumit lilium, venena ſtramonium, catharſim jalappa. Pariter mate-

ria jam animalis facta, multiformes subit alterationes. Porro nulla alteratio potest intelligi sine novo partium inter se coalitu. Hinc coctiones quot sunt, tot esse necesse est excrementorum proventus, quæ propriam sibi classem vindicant. Ut ergo chylo in sanguinem facescente, si quod per urinam, aut per patentia cutis vasa tollebatur, secundæ coctionis excrementum constituebat, ultima hæc excrementalis massa humorum residuum continens, ubi ita cocta est, seu præparata, ut exitui pateat, nihilque relinquat in corpore extranei, jure meritoque 3. coctionis excrementum vocabitur, sive ut ad veri normam loquamur varia constituet 3., & ultimæ coctionis excrementa. Si vero omnia hæc in sanitate, & secundum ordinem naturæ peragantur, bene est: Omnia sese sua vi tuentur, & amice in salutem conspirant. Tunc vices reparationis, perspirationis, excrementorum dejectionis, corpus salubriter experitur. At si, viribus deficientibus, pleniora suppeditentur alimenta, labantis ordinis hæc erit norma. Primo quidem cellulas inertes inflabit statim a 2. coctione lentus adeps, mox easdem cellulas inficiet lympha crudior, & ut omnis coctio, sic omnis elanguebit secretio, omnis fatiscet excretio. Sin fortioribus vasis parciora tribuas, jam brevi *ultra perfectum* trahetur coctio, acria evolventur, & vasa præpostera celeritate vacuabun-

buntur. In utroque ancipiti casu periculum ab opposita causa. Adde his nova nascentia ex acrium intromissione pericula, ex putredine, quæ ut nervos, sic vasa reddit inertia. Ipse somnus adeo coctioni utilis, ut a vasis per soporem turgentibus non nisi cocta exeant excrementa, in utroque casu, *notante Hippocrate*, nocet. Favet in priori casu cachexiæ, inducit in altero putredinem. Ex ipso dormientis aspectu recte judicaveris, an concoquat homo somno sepultus, an vacuus dormiat. Turgida illius facies, & nitens; hujus collapsa, & pallens. Ut porro in utroque casu vitioso pessumdantur coctiones, ita & degenera fieri excrementa necesse est. Nec umquam accisis viribus, aut statera Sanctoriana, aut sensus ipse, perspirationem legitime factam indicabunt, quæ 3. coctioni proportionalis, ita ipsi apte, & adamussim respondet, ut neutra possit altera carere; unde perfecte elaborata coctio, perfecte elaboratam perspirationem indicat, & perspiratio belle, & ex ordine procedens firmissimum est recte peractæ concoctionis argumentum.

His semel positis, atque demonstratis, nemo est, si primis labris sacros naturæ latices attigerit, qui non sentiat, naturam perspirationis a coctione residuæ, elaboratissimam, tenuissimam, densissimam tamen prorsus a sudore differre, nec posse ullatenus cum eo

conferre, qui semper humor crudus, aut a pravi succi copia nimia salubriter exeuntis pendet; aut a pessumdato sanguinis tenore, in exitium apparet; & cum nostro humore tantum analogiam servat aliquam, ubi, coctis humoribus in morbo acuto, critice erumpit; quæ crisis, ut norunt Pathologi, rara admodum est, eoque aspectu, vel ipsa critica diarrhœa inter excrementa tertiæ coctionis reponi poterit. At contra maximam cum urina servat analogiam perspiratio, ut alibi probavimus, ipsique ita apte correspondet, ut unius theoria alterius etiam theoria dici possit.

Patet inde, quod, etsi alimentis proportione respondeat perspiratio, ipsisque suam omnino debeat originem, tamen ab illorum indole prorsus abludat, & ab iis differat omnino. Hinc licet illam in corpore sano, respectu ad vires abito; pro lubitu aut valeamus adaugere, aut imminuere, copiam cibariorum si auxerimus, aut contra imminuerimus, raro tamen de immutandis ejus proprietatibus possumus certo aliquid statuere. Imo hanc illi, vel illam dotem conciliare nequimus, nisi facem prætulerit experientia. Scire tamen facile est eam varie admodum accipiendam pro diversa alimentorum natura. Multa enim sunt vel in maxime salutaribus cibis tenuissima corpuscula, quæ huma-

manantrum virium efficaciam eludunt, & dum post varios intra sanguinem errores rursus ejiciuntur, diversa affectant emunctoria, per quæ dum exeunt immutata, inquilinos humores immutant: Harumce atomorum aliæ vias bilis ambiunt, & per hasce extra corpus sese præcipites dant, vitiato bilis, aut tenore, aut colore. Quoties aut colorem, aut odorem, urina ab assumptis ita perdidit, ut vix post viginti quatuor horarum spatium suas recuperet proprietates? Quid ni idem de perspiratione expectamus? Cum multi sint, qui hoc, vel illo potu assumto odorem specificum spirent; cum multis, ubi acre quodlibet ingurgitaverunt; pruritus ad cutem sine ullo sensibili tumore erumpat; cum demum; si peregrinatoribus credere fas est; dentur silvestres homines, nec per varios urbium odores naribus cicurati, qui solo odoratu Gallum ab Anglo dignoscant, victus differentia in habitum trahente specifici cujusdam spiritus cum perspiratione miscelam. Nec difficile inde solvitur illud problema: An possimus per artem, imo an debeamus perspirationem promovere? perspicue enim ex dictis sequitur, quod, si in homine sano, & recte concoquente male officiosa sedulitas, perspirationem extorserit majorem, cruda illa esse debeat. Est enim coctio illa naturæ opus, quam nulla ars e directo facere potest, sed quæ, dum viribus adaugendis insudamus,

ex

ex arte promovetur etiam; adeoque nullum hic diaphoreticum specifice sic dictum dari posse patet: præsertim vero hæc remedia prorsus a sodoriferis esse distinguenda: verum in corpore ob suppressam perspirationem in morbos deflectente, sæpe laxatis vasis, & tenuatis humoribus, restitui perspirationem. Sed si elangueat coctio, aut si in vasis hæreat coctus humor, ad portas hæsitans, & aut propter copiam; aut propter infirmitatem laborantis vix potens sibi viam cudere, nullum potentius, nullum efficacius, nullum naturæ magis congruum, & conveniens auxilium datur, exercitio, quod vires instaurat, quod, ut succi nutritii applicationem, sic& ciborum mutationem efficit, ipsisque, ex Hippocratis præceptis, semper debet æquilibri concordia respondare. Quod ut maxime cognitum, & chartis undique personatum medicis, hic non erit altius perpendendum; modo ex Sanctoriana statera licuerit effatum Hippocraticum confirmare: Nullo scilicet umquam tempore; corpus utilius exerceri, quam cum coctio peracta est, stimuloque indigent humores expellendi: Contra vero præposterum esse motum, qui, dum corpus concoquit, susdeque agitaret omnia, & falsa subverteret miscela: Sed ad perfectam perspirationem, necessarias esse somni concoquentis, atque expellentis exercitii vices, quod quidem, ut indicat natura, ita levissima comprobat observatio. Fa-

Facili vero theoria ex hisce deducemur ad diætæ diversitatem, quæ pro varia virium conditione, & pro vario earum usu competit. Si enim exercitatum, si motu fractum assiduo corpus, si viribus pollens efficacissimis levia tantum captet alimenta, brevi illa robore nimio attrita tenuitatem hanc nanciscentur, qua perspirabilia prius fiant, quam nutritia, adeoque inutili consumentur naturæ labore; vixque ipsa eorum copia levitati principiorum supplere possit. Dura & maximam sub minima mole efficaciam nutrientem habentia, duris messorum ilibus sufficienda sunt, quæ stomacho fulturam, & diaphragmati ruenti hypomochlion præstent, quæ moras in vasis nectant, resistantque coctioni, ne celeritate sua quasi evanescat. Mulieribus contra otiosis, delicatulis, & iis, quibus vires quacumque de causa accisæ sunt, tenuia, levia concredenda sunt, opposita de causa; quæ enim aliis debiliora sunt, aliis possunt reperiri valentiora. Nec minus ab iis fundamentis intelligetur, quam varie alendi sint homines, pro variis tempestatum ætatumque vicibus, pro locorum natura, quæ omnia, fuse apud Hippocratem exposita, statera observatrix demonstrat. Dormire, & ali vita infantuli recens nati abunde probat, quam leve ipsi nutrimentum competat; frequentius vero debere offerri, ipsa materni lactis levitas indicat. Quo durior evadit corporis acre-

crescentis moles, eo etiam materia densior, eo minus frequens offeretur. Adsunt enim vires coctrices, nec jam novella perspiratio lac redolet: fervida juventus vix sibi alias reposcit regulas, præter illas, quas statuimus universales; sed omnia flexilia adhuc viribus puerorum tenellis frequentiorem usum alimentorum postulant, quam qui adultis competit. His plenius cibari interdum, interdum ferre jejunia licet. Usus ille ingentem in perspiratione concitet una aut altera die differentiam, utile est. Assuescit enim inde corpus varios per eventus indurari, & facile diversas vitæ conditiones pati. Nec periculosum est, si intra rationis justos contineatur limites, positum a Celso principium, quo nullis adductum legibus vult hominem. Periculosa contra, imo & ineptos patriæ cives facit, illa ad stateram librata æqualitas ciborum, qua si vel una die carueris, illico sentitur defectus; nec stimulos concipit natura, nec renixus patitur, unde viribus calcar addatur. Hanc aliquando concitasse, & per nova onera, unde se innato extricet robore, exstimulare utile est; teste vel ipso æqualis diætæ celebratore Sanctorio. Nec ergo insalubre adultis erit jejunium, unde relictæ a præcedentibus coctionibus quisquiliæ vacuentur, nec aliquando concepta immoderatio levis, qua natura robur intus latitans exerat. Sed æqualitas illa adamussim servan-


vanda erit, & delicatulis quibus vel levis culpa ſcelus eſt, & iis, qui a morbo revaleſcunt, & quibus non ſatis eſt virium, quas diſperdant, & ancipiti fortunæ committant: ſenibus vero qui, etſi facillime inediam ferant, ex eo ipſo quod illis, cattharri ſæpe ſuffocantis nomine, copia chyli crudi pulmones affatim ſubeuntis obruat, præfocet, & angat eliſis faucibus, frequentiora offerenda ſunt alimenta, eaque leviora, ne debilitentur illinc, hinc vero graventur. Verum etſi cautelas haſce omnes adhibueris, non vetabis tamen, ne, decrepita ingraveſcente ætate, ſputis, ex dura fati lege, craſſis, indivulſis redundent undequaque; quibus fit, ut vix ullus chyli proventus faceſſat in alimoniam, ſed excrementi titulo omnia auferantur; illi vero medios inter ſcreatus marceſcant, & tandem exſtinguantur,

Hæc quidem omnia quantitatem alimentorum ſpectant, & eorum aut ad ſubeundos coctionis labores facilitatem, aut contra vinci difficilem duritiem. De qualitate illorum, vix ad perſpirationem dicere attinet. Quæcumque enim cibis qualitatem a nutritia extraneam conciliant, ea medicamentoſa ſunt. Sic ſi alvo ſolvendæ apti fuerint cibi, vix illi nutrient, at certe perſpirationi nocere iſtos neceſſe eſt: idem dicendum de iis, qui lotium eliciant. Eos qui aromaticum dulce ſpirant, aut qui ſpiritu fervent ardentiori, inter diaphoreti-

cos,

cos, & perſpirationi juvandæ aptos numerare ſolemne eſt. Sed quam falſo ſæpe inſigniantur titulo, facile ſentiet, qui naturæ myſteria recluſerit ſedulius. Si enim erethiſmo concitato vaſis ſtricturam, ſi liquidis rarefactionem conciliaverint, ſi vaſa obſtipaverint, coctioni nocebunt, præpedientque perſpirationem. Quod ſibi demonſtratum habeant, qui, dum ſpirituoſis indulgent liquoribus, ſomnos a ſe arcent; ſignum enim coctionis ſomnus, & perſpirationis legitimæ ut cauſa, ſic eſt aſſecla. Singula quidem perſequi rerum capita arduum foret. Fuerit ſatis ſumma delibaſſe, a quibus cætera quaſi ſponte evolvantur.

DE



DE CIBO, ET POTU.



SECTIO TERTIA.



Aphorismus I.

Stomachus cibo refertus, si inter dormiendum absolvat primam coctionem, illius noctis perspiratio magna ex parte ascendit ad quadraginta uncias; si non absolvat, ad octodecim circiter.

Stomachus frustra concoquet, si non absolvantur & 2., & 3. coctio, sive chylosis, & hæmatopoiesis; quibus præsertim, æquabili, lentoque motu, & vasorum penetrabilitate, confert somnus. His peractis, non a somno, sed post somnum fit ingens perspiratio. Hæ si de-

se-

fecerint concoctiones; materia rite cocta jam non existente, aberit perspiratio. Corpus tantummodo exhalat; quae exhalatio ad octodecim uncias in aere Paduano ascendit, ut ex sequentibus probabitur. Apud nos minor est, & variat pro anni tempestate, aeris humiditate &c.

II.

STOMACHUS omnino vacuus, & jejunus, licet dormiat, non perspirat ultra octodecim uncias circiter.

Deest materia perspirabilis. Fit simplex, & necessaria excrementorum volatilium exhalatio.

III.

TANTUM perspirat corpus plenum non concoquens, quantum fere jejunum non habens quod concoquat.

IV.

CIBI multum nutrientes, excepta carne vervecina, a coena ad prandium non solent perspirare ultra octodecim uncias.

Nimis universalis est propositio, forsan solius Sanctorii observatione comprobata. Nam ro-

robuſtis, qui multum abſumunt, conducunt, bene concoquuntur, & bonam perſpirationem ſuppeditant cibi multum nutrientes, id eſt ingentem habentes ſub minima mole materiæ nutrientis copiam. Caro vervecina non levis tantum, ſed habet aliquid cardiaci vires augens.

V.

Cibi copioſi, ſed tenuis nutrimenti, noctis ſpatio, in plurimis, ultra quadraginta uncias perſpirare poſſunt.

Tenuis nutrimenti, *id eſt, ea, quæ partibus inter ſe infirmius nexis conflantur. Quæ facile concoctæ, facile pariter avolant; & quæ perſpirationi ideo favent, quod partes multas tenuiſſimas contineant, quas animalis calor reddat adhuc tenuiores.*

VI.

Alimenta, quæ corpora conſervant gravia, ſunt copioſa, vel cruda rebellia.

Copioſa vires ſuperant, ipſa ſua mole. Cruda rebellia non ſuperantur a viribus, ob partium ſubigendarum duriorem textum. Utroque in caſu, languet, & opprimitur coctio; ergo & perſpiratio.

VII.

Quæ conservant levia, sunt consueta, & vaporosa.

VIII.

Caro vervecina facile coquitur, & est vaporosa; perspirat enim noctis spatio trientem libræ magis, quam cætera, solitaque edulia.

Victu vegetabili vivit vervex; nec tamen caro ejus glutine abundat. Imo & sapida vires concoquentes auget. Nec stomacho nauseam, nec vasis laborem infert. Sed ea sola diu vivere, ut difficile est, ita experimentum fallax.

IX.

Quæ ex pasta fermentata fiunt esculenta, non efficiunt corpora ponderosa; longe enim facilius pespirant, quam rapæ.

Fermentatio mucaginem motu intestino subigit; indivulsam ei aufert tenacitatem. Hinc universale hominum cibarium panis omnem frumenti virtutem nutrientem continet, sed divulsam illam, & delicatis etiam edulem. Hinc ejus diversitas tota in diverso fermentationis gra-

gradu, pari alioquin materie, continetur. Rapæ vix nutriunt; sed ut aliis moderate sumptæ prosunt; aliis contra, acri halitu irritant ventriculi nervos, & non, nisi difficile, concoquuntur.

X.

VIR sanus occulte diei cursu tantum exhalat, quantum per alvum dimidio mensis; licet quotidie coctas tamen, & consistentes fœces semel excernat.

Rem adamussim ponderare vix possibile est. Cum crassa excrementa varient, pro natura ciborum, vi attractili intestinorum, aeris, somnique effectibus; ita ut huic homini, bis alvum de die deponere, necessarium sit; illi contra, quindenis diebus vix illa solvatur.

XI.

STOMACHUS plenus, & vacuus minuunt perspirationem; plenus eam divertit per ciborum corruptelam; vacuus eam trahit, ut impleatur.

Plenus stomachus cæteras functiones quascumque imminuit; natura in id unum quasi intenta, ut concoquat. Vacuus plus justo, & ho-

boris alienis, materiem non suppeditat perspirationi, & vires imminuit.

XII.

PLENUS, quando non absolvit coctionem, ex pondere cognoscitur: corpus enim tunc minus perspirat. Vacuus vero flatibus impletur.

Uterque stomachi status pondere noscitur, aut aucto, aut imminuto. Flatus enim, qui vacuo ventriculo ipsius implent cavum, vix pro pondere haberi possunt. Unde, qui longo tempore vacui remanent ventriculi, contrahuntur, & capacitatem amittunt. Aliunde signa pleni ventriculi sunt pondus, faciei mutatio in rubicundam. Vacui signa sunt virium imminutio, vocis imbecillitas, ad labores impotentia.

XIII.

FLATUS nihil aliud est, quam rude quoddam perspirabile.

Celebris pneumaticorum secta omnia ad flatus referebat. Hinc εἴσπνοον καὶ ἔκπνοον Hippocrati idem est, atque inhalans, & perspirabile. Hinc a flatibus pendere dicebantur, qui oriuntur a retenta perspiratione dolores rheuma-

matici . Retinetur porro ſæpe perſpiratio a cruditate humoris exitum molientis ; qui etiam & inertiam bili , & atoniam inteſtinis conciliat , unde flatus .

XIV.

Robustus ciborum plenitudinem abſumit per inſenſibilem perſpirationem ; minus robuſtus per urinam ; debilis magna ex parte per chyli corruptelam.

Perſpiratio perfectæ coctionis fœtus . Minus tenuatas partes urina abſumit . Hinc obſervatur in debilioribus perſpirationi urina ſupplere . Craſſior , & indigeſta materies alvum opplet , debilioribus ſolis competens . Optima vero naturæ conſtitutio eſt , ubi vacuationes fiunt per loca convenientia , teſte Hippocrate .

XV.

Dum omittitur cœna , vacuo exiſtente ventriculo , nulloque urgente paroxiſmo , retinetur perſpirabile , & retentum fit acre ; inde corpus ad calidas ægritudines præparatur.

A jejunio præpoſtero , deeſt perſpiratio ; & reparabilis deficit materia ; continuatur vitæ actio . Hinc acrimonia : unde intelligitur Aphoriſmus .

XVI.

Jejunium, quod reducit corpora ad minus pondus, sed corporibus insolitum, malum.

XVII.

Cur sint, qui fame pereant, si in vivo sanguis nunquam deficiat? Quia versus ventris vacuum sanguis tendens, relinquit cor.

Fit in fame acre, & rodens liquidum, quod plasticum, & vitale esse debuisset. Solida deteruntur, & corrumpuntur. Fit gangræna lethalis.

XVIII.

Non solum incoctus cibus, ut quantus reddit corpus ponderosius; sed etiam ut qualis, quatenus scilicet perspirationem impedit.

Cibus incoctus, vel a copia pendet, quæ vires superat; vel a qualitate, quæ aut durior quam ut vincatur, aut prava, particulisque referta non nutritiis. Utrimque cruditatis, adeoque gravitatis in corpore periculum.

XIX.

XIX.

DUM levior semetipso quis videatur factus, & non sit, valde bonum: id enim oritur a succis trium coctionum exacte coctis.

Hæc est alacritas illa, & levitas ad sensum, quæ superabit pondus auctum, & vires plus justo sufficientes indicat.

XX.

DUM tota die persentitur levitas, & corporis agilitas; præcessit chyli, & sanguinis coctio, & penitus exhalarunt tertiæ coctionis excrementa.

Potest stare levitas ad sensum, dum peragitur coctio, nondum expulsis excrementis. Propositio exquisite vera est de levitate ad stateram.

XXI.

CIBUS incoctus, quo plenioris est nutrimenti, eo est deterior; vel quia efficit majus pondus, vel deteriorem corruptelam.

Peccat cibus ille, & copia, & qualitate

nutrimenti; quæ vires æqualiter eludunt, & duplici titulo nocent.

XXII.

CORPUS maxime leve fit ex ciborum corruptela: liquida enim excrementa omnia magni ponderis.

Si per diarrhœam ingens materiæ educatur copia, levior erit ad ſtateram machina, ſed gravior ad ſenſum; niſi febris vires auxerit.

XXIII.

USUS carnis ſuillæ, & boletorum, malus; tum quia hæc non perſpirant; tum quia non permittunt cætera edulia ſimul ingeſta perſpirare.

Agunt ut alimenta mali ſucci, coctioni dura, perſpirationi difficilia. Sed non eodem gradu. Nam boleti peſſimi. Caro ſuilla vix nocet aſſuetis. Imo ea infirmorum juſcula fiunt cum ſucceſſu apud Hiſpanos, & Indos, ac Sinenſes. Sed eſt diverſa ſuum indoles.

XXIV.

Ex uſu carnis ſuillæ, & boletorum, triente minus ſolito corpus magna ex parte perſpirat.

XXV.

XXV.

MELONES adeo pusillum perspirant, ut quadrantem circiter auferant perspirationis consuetæ.

Melonibus virtus inest leviter cathartica, perspirationem divertens.

XXVI.

RETENTA illorum perspiratio in urinam, vel sudorem facessere solet.

Sudor a cruditate oritur; eo quod chylus ab illa effœtus fiat, vixque actione vitæ densandus; per cutem exit ante coctionem, sæpe odorem cibi referens. Si plus addensetur, nec perfecte tamen, in sedimentum urinosum facessit. Unde emittitur tum vel urina turbida, vel cito turbanda.

XXVII.

UVÆ, & ficus recentes pauxillum perspirant, & aliquantulum aliorum ciborum perspirationem impediunt; fortassè quia sensibiliter evacuantur.

Omnes fere fructus horæi, mucagine gaudenden-

dentes saponacea, alvum laxant, & bilem solvunt. Unde perspirationi nocere possunt; vix tamen sanitatem lædunt si moderate sumantur; æstate enim, quo tempore vigent, vix ullum supprimendæ perspirationis periculum.

XXVIII.

Illud genus edulii optime perspirat, & commode nutrit, cujus pondus in ventre non sentitur.

Idem durioribus cibis eveniet, si sumantur moderatius, nec ultra virium tonum.

XXIX.

Ciborum plenitudo magis nocet in otioso, quam exercitato: viscera enim illis gravantur quiete; exercitio vero liberantur pondere.

Addit demonstrationem statera huic Hippocraticæ propositioni, conferendos esse labores ad cibos; *ita ut duriores, & copiosiores cibi ad eos pertineant, quorum robusta ilia conficiuntur laboribus. Exercitio enim concoquuntur illi; resistunt homines laboribus: & reparantur perdita: nec cito difflabilis ciborum potestas consumitur, & avolat.*

XXX.

XXX.

Ab eo cibo corpus optime perſpirat, cujus fœces exeunt conſiſtentes.

Propoſitio vera, ut cauſa, ut & ſignum. Ut ſignum, abſumi liquidiora per inquilinos naturæ calles. Ut cauſa, quia, quæ nutritiam materiam ſuppeditant, pauca relinquunt ſcybala. Ut de lacte notum eſt.

XXXI.

Minus quam lactuca nutriet caro pulli, ſi de carne, ea copia edatur, ut in liquidarum fœcum corruptelam exeat.

Quia ſine coctione, materia nutriens inutilis eſt. Hæc ſi non peragatur, nulla cibi ſalubritas eſt.

XXXII.

Ex ponderatione noveris, quando jejunium ſit ſalubre, vel inſalubre. Erit ſalubre, ſi aliquid relinquebatur de heſterno edulio perſpirandum; ſin minus, inſalubre.

Ponderatio in hoc caſu ſumme utilis, ſed impoſſibilis pluribus. At idem deprehenditur, nec

nec minus certo, ex sensu levitatis, & alacritatis.

XXXIII.

Dum per diætam corpus reducitur ad pondus minus suo salubri minori, quod amittit de robore, est irreparabile. Quod vero detur minus, & majus salubre pondus ex LXIV. §. primæ, & ex XL. hujus intelliges.

Nulla irreparabilis labes a diæta justo minori per se oritur. Sed cum vires frangat ponderis salubris amissio, debilitatemque inducat, arte opus est, qua viribus cibi proportionales offerantur. Bona coctione peracta, minus amittitur; reparantur perdita, non statim, sed sensim, ut in Aphorismis docuit Hippocrates.

XXXIV.

Si sciveris quotidie, quantum cibi tibi conveniat, scies diutissime virtutem, & vitam conservare; idque ex eodem Aphorismo intelliges.

Idem veteres, idem edixit Hippocrates solius sensus judicio.

XXXV.

XXXV.

NATURÆ robur non parum abſumitur, dum cœna modo eſt quatuor, modo ſex librarum.

Non abſumuntur vires, ſed nimio uſu fatigantur, ſi ultra moderationem feratur varietas illa. Nam, ſi moderate varietate utamur, oſcillationum perpetua renovatio naturam roborat. Nec periculo vacat ſeveritas illa, Sanctoriana ſtatera explorante, expenſa, Vel minimum enim delictum ſentitur graviter.

XXXVI.

ILLA cibi quantitas eſt ſaluberrima, dum a cibo corpus ſuis negotiis eadem agilitate vacat, ac ſi eſſet jejunum.

Hæc eſt ſacra illa veterum obſervatio, ex ſenſu nunquam fallaci deducta. Cui novam demonſtrationem per ſtateram Sanctorius addidit, & quam jam pridem inventam comprobavit experimentis.

XXXVII.

MAGIS quoque gravatur ab octo libris ci ſemel in die comeſtis, quam a decem tri-

tribus vicibus unica die assumptis.

Regula hæc rationi consona est. Modo tamen ventriculo liceat otiari, viresque consulantur. Nam si frequentius ingeratur cibus, ac maturius, & coctionis, & perspirationis leges pervertentur. Apud viros exercitatos, non eadem est regula, quam litteratis, & otiosis. Iis vix possibile est ætate grandioribus, bis cibis expleri. Sed leviora bis, aut ter degustasse alimenta sufficiat.

XXXVIII.

Illa cibi quantitas est unicuique saluberrima, quæ sine molestia potest a virtute concoctrice vinci. Vincitur, si quantum ingeratur, tantum absumatur: hæc enim ex ponderatione dignoscentur.

XXXIX.

Illa cibi copia est ingerenda, quam natura potest coquere, digerere, & perspirare.

XL.

Si natura posset digerere centum libras edulii, & exporrigerentur nonaginta novem, animal propterea cursu temporis destrueretur.

Ser-

Servanda est cuilibet naturæ apta proportio. Sed ubi corpus jam incrementi fastigium adeptum est, fallacem hanc crediderim regulam. Imo diæta tenuior salubris, cum minus de corpore auferat, nec plethoræ relinquat vestigium. Nec deteritur aliquid de corpore, cum ipsa stet per se solidorum moles; & liquoribus renovandis addita supersit materies.

XLI.

Tunc cibi boni succi diutissimam sanitatem tibi promittent, quando perspirationis quantitas medium obtinebit locum inter excessum, & defectum. Excessus, post plenam cœnam ciborum maxime perspirabilium, noctis spatio, magna ex parte solet esse quadraginta unciarum circiter; defectus, quatuordecim. Ille igitur cibi usus, qui te ad viginti duas uncias, quæ est medietas, transferet, certissimam sanitatem, & longævitatem pollicebitur.

Diversitas ingens inter Aphorismum LXIV. sectionis primæ, & hunc apparet: quæ conferenti clare patebit. Nec possibilis est talis ad numerum calculus, tum ob varietatem exercitii, tum ob tempestatum diversam temperiem. Sola judex esto a somno alacritas, & facilitas ad labores.

XLII.

XLII.

¹ Celsi sententia non est omnibus tuta, usus scilicet sex rerum non naturalium modo parcos, modo nimios esse debere.

Nihil in Hygieines praxi tutum est, præter moderationem. Sed vitæ varietati assuescere, nec ullis obligari legibus, ut Celsus voluit, id habet pretii, ut non commoveamur a quibuslibet causis; quod illis familiare est, qui nullatenus ab instituta vita descisc unt. Observatio ergo illa Sanctoriana ad delicatos, & causarios tantum pertinet. Cæteros Celsi consilium regat, moderatione tamen legem ordinante.

XLIII.

Corpora minori molestia reducuntur ad consuetum pondus, si assumant quatuor ciborum libras in prandio, & quatuor in cœna distanti, ut par sit, quam sex in prandio, & duas in cœna.

Res ab Hippocrate olim expensa, & ad assuetudinis imperium revocata (lib. de prisca Medicina). Minus certe in iis, qui bis edunt mediocriter, cruditatis periculum, quam in iis, qui semel sese ingurgitant. Senibus ta-

¹ *Vide Hippocr. loco citato.*

tamen, in quibus longior est concoctio, cœna fere impossibilis.

XLIV.

SEIPSUM sensim destruit, qui semel in die, *præter consuetudinem*, comedit: comedat parum, vel multum.

XLV.

CORPUS magis ponderosum redditur quatuor unciis cibi multi nutrimenti, qualis est caro porcina, anguillæ, & pinguia omnia, quam sex unciis cibi pauci nutrimenti; ut sunt pisciculi, pulli, aviculæ, & alia id genus.

Quia perspiratio a coctione pendet, quæ tenuioris materiæ facilior, & brevior.

XLVI.

CIBUS pauci nutrimenti si difficulter coquatur, id accidet solum in prima coctione; multi nutrimenti in omnibus.

Potest cibus pauci nutrimenti in ventriculo corrumpi, & reliquas coctiones inficere. Aliunde pro viribus variat nutrimenti qualitas; ita

ut illis istud pro pauco nutrimento habendum sit, quod his multum nutrimenti præstat. At quod multi nutrimenti est, vires eludit omnes, & vitium a coctionis defectu in primis viis contractum ad cæteras defert coctiones.

XLVII.

CIBUS exigui nutrimenti humectat, & lenit alvum; cito digeritur; & perspirationem dormientium, & vigilantium facile juvat.

Debilibus ergo conferet cibus pauci nutrimenti; sed robustioribus vix sufficiet; nimis cito coquendus, nimis cito mutandus, nimis cito expellendus.

XLVIII.

CIBUS multi nutrimenti stringit alvum, nisi corrumpatur; difficile coquitur, & parum perspirat.

Si debiliori exhibeatur, omnes hos inducet effectus; quia non superabitur validior cibus. Nihil simile accidet in robusto. Sint ergo cibi semper, & ubique tum copia, tum qualitate, viribus proportionales.

XLIX.

XLIX.

UBI est difficultas coctionis, ibi tarditas perspirationis.

Aurea hæc sententia ex prædictis fluit. Modo, per coctionem, ultima illa aliarum productum, ipsisque proportionalis intelligatur.

L.

CIBUS non ut fluidus debet præmitti, sed ut melioris succi: pylorus enim non est in imo, ut in canibus.

Fateor illud mihi præceptum inane videri. Nec in canibus adeo cito effluit cibus; & duriora in eis ultima exeunt e ventriculo, ut vidi sæpius.

LI.

TRIA mala eveniunt ob ciborum varietatem; nimium comeditur; minus coquitur; & minus perspiratur.

Propositio hæc abusum, non usum spectat.

LII.

Tempus minoris perſpirationis eſt, quando ſtomachus eſt plenus, & præcipue varietate eduliorum.

Norunt litterati quantum hoc tempore langueant omnes functiones; viribus in id unum occupatis; imo & liquoribus novo onere nondum ſubacto gravidis.

LIII.

Qui evomunt cœnam, ſtatim tollunt ſtomachi moleſtiam; ſed ſequenti aurora ſentiunt corpus ponderoſius: vomitus enim divertit perſpirationem, trahendo ad intra perſpirabile. Quod, ut acre, laſſitudinem, & calorem; ut copioſum, gravitatem facit.

Nixus ad vomendum violentus fere omnes muſculos convellit, & in motum trahit: ordinem ſecretionum intervertit; corpori laſſitudinem ſummam conciliat, & debilitatem. Cui reparandæ deeſt materia per vomitum abacta, deſunt ventriculi vires.

LIV.

Qui comedit magis quam oportet, alitur minus quam oportet. Non

Non enim ingesta nutriunt, sed bene concocta.

LV.

Qui in juventute sunt victus immoderati, ventriculum plus justo dilatant; quo fit, ut in posterum victu moderato magna cum difficultate uti possint.

Adversus victum immoderatum omnia Hygieines præcepta diriguntur. Qui nimium edunt, præter plethoræ, cachexiæ, acrium omnium incommoda, jejunia nec tolerare possunt, nec diætam ægris necessariam. Sed tamen recta, & secundum artis leges imminutione instituta, qui dilatari potuit ventriculus, discit & contrahi; ut sequens docet Aphorismus.

LVI.

Qui ad statum, & moderatum victum facile reduci cupit, utatur eduliis pauci nutrimenti; sic ventriculus cito se isto exonerans, minori se accommodabit capacitati.

LVII.

Quantum edendum noveris, si pluribus diebus observaveris, corpus a somno fine molestia ad idem pondus reduci.

Aurea hæc ſententia vocari poſſit ſtateræ rationalis; quæ ſenibus æque, æque juvenibus prodeſt; & qua nullus carere debet ſi ſenſum potius, quam ſtateram conſuluerit.

LVIII.

Si poſt pleniorem cœnam, corpus minoris ponderis die ſequenti reddatur; id eveniet, vel ob corruptelam; vel quia irritatur natura ad expellendum utile: quod eſt admodum nocivum. Corpus enim præparatur ad morbos, dum utilia evacuantur, & cruda detinentur.

Pleniori cœna majus pondus effici ratio docet. Si pondus illud imminutum ſit, certe vacuatio nimia a viribus naturæ ſtimulo acri concitatæ, vel acrimonia ſolvente materiei exorta eſt.

LIX.

Si cœna fuerit octo librarum, & edulia in ventriculo corrumpantur, corpus die ſequenti erit minoris ponderis, quam ſi cœna fuiſſet trium librarum, & cibus non fuiſſet corruptus.

In immani illa cœna, ut pondus intelligatur

tur imminutum, non corruptela sola, sed vacuatio plus quam octo librarum supponi debet.

LX.

EDULIA aptissima perspirationi non corrumpuntur; imo post nocturnas vigilias hominem conservant sine lassitudine, & gravitate.

Addendum huic sententiæ, modo servetur proportio cum corpore nutriendo, & rebus reliquis non naturalibus.

LXI.

EDULIA non perspirantia, obstructiones, corruptelas, lassitudines, mœstitias, & pendus efficere solent.

Id est, quæ corporis viribus comparata, ab eo coqui nequeunt; ut sunt dura, tenacia, acria, purgantia, &c. Nam prima omnium destruitur alacritas, dein inertis, & spontaneæ corruptelæ nascuntur phænomena, vel irritatis naturæ viribus nascitur erethismus.

LXII.

ILLA est viventis pessima conditio, dum

 facta

facta ciborum concoctione, corpus persentitur onerosius solito, cum tamen sit minoris ponderis.

Ponderis augmentum ad sensum, leviore ad stateram corpore, vires fractas, & imminutas designat. Levitas enim illa ad stateram, deesse materiem reparandis viribus necessariam designat, adeoque omnia in pejus ruere necesse est.

LXIII.

Si quis cibi, vel potus nimietate utatur, & sequantur evacuationes sensibiles, longe pleniores consuetis, corpus die sequenti fit solito levius.

LXIV.

Edulia liquida, data molis paritate, sunt ponderosiora solidis: liquida petunt fundum; solida supernatant. Cyathus vini, seu jusculi est majoris ponderis, quam integer panis.

Vide sectionis primæ Aphorismum XXVII.

LXV.

Si nimius potus a somno efficiat oculos la-

lacrymosos ; signum est corpus non perspirasse ; ut par erat.

Non lacrymosi solum efficiuntur oculi ab imminuta perspiratione ; sed tumidæ palpebræ ; & coryza ad nares.

LXVI.

Si post multam potationem sudes, vel multum meias ; aut magnum robur, aut magna infirmitas indicantur.

Sæpe naturæ actuosæ viribus sudamus, irritatis vasis sudoriferis, & cordis aucto motu, ut in febre sudatoria. Sæpe, laxatis præ debilitate vasis, & herentibus liquidis, sudant homines debilissimi, jamjam morituri. In statu sano minus sudant, qui robustiores sunt. At materies aquea nimia intus admissa copia, sæpe vi naturæ ad excretionem superflui concitatæ, expellitur, sæpe quasi sponte vasis inertibus delabitur. Ut prima excretio roboris signum erat, ita altera debilitatis est, & languoris effectus.

LXVII.

Aquæ potatio insensibilem perspirationem impedit; auget tamen sensibilem.

Nimia enim aquæ potatio coctioni officit, dum principia nutritia a se invicem nimium disjungit. Unde iis acor, & quasi imperfecta fermentatio. Hinc liquidi aquei vis ingens exit, crudis referta principiis, nec ita tenuatis, ut avolare queant insensibiliter.

LXVIII.

Potatio hisce sæculis, in temperatis quoque, est improportionata: cibus enim illorum solet esse duodecim unciarum circiter; potus quadraginta, & ultra.

Multi sine potu sani vixerunt. Novi sacerdotem septuagenarium, qui nunquam potat aut aquam, aut vinum, nisi dum missam celebrat: religiosus est, & sanissimus. Vide experimenta Dodartii, & Marcorelli in Actis Academiæ regiæ scientiarum. Multi largius potant sanissimi. Certe coctio a nimio potu acescit; laxantur fibræ; præceps fit ad sudores eliciendos humor. Sed regulam cuique statuere impossibile est. Quæ, pro varia vitæ, ætatis, tempestatisque conditione, diversa constitui debet.

LXIX.

In homine utente moderato victu, perspiratio nocturna aliquando ascendit ad tres libras:

bras: in utente pleniſſimo, ſtomacho præexiſtente vacuo, & robuſto, poteſt aſcendere ad quinque libras.

Legantur obſervationes Gorteri in aere Batavo; conferantur auctores de ſtatica, & hæc inde eliciatur concluſio, perſpirationem ſemper alimentorum aſſumptioni, & coctioni eſſe proportionalem: ſed ratione habita virium concoquentis, & actionis ſimultaneæ rerum nonnaturalium, quorum in perſpirationem actio ex ipſis Sanctorii Aphoriſmis intelligi debet.

LXX.

JEJUNIUM corpus ſuo majori pondere inſignitum juvat; medicori nocet; minori longe magis.

LXXI.

POST longum jejunium, ſi corpus liberalius nutriatur, perſpiratio redditur plenior ſolita libram circiter.

Modo tamen a præcedente jejunio vires non attritæ ſint. Nam viribus imminutis, imminuitur pariter coctio; ergo & perſpiratio.

LXXII.

LXXII.

Post immoderatum exercitium corporis, vel animi statim vesci, malum: corpus enim defessum ægre perspirat.

Notum est quantum litteratis coctio difficilis evadat; ob exhaustum corpus. Statim ab exercitio corporeo vehementi; omnia pariter exsucca, & arida sunt, liquoribus exhaustis, solidis defatigatis.

LXXIII.

Si sobrii, & in victu temperati præmature moriantur, amici mirantur novitatem; quia de perspiratione insensibili nil sciunt.

Mors subita, a perspiratione protinus, & uno ictu suppressa, catharrum suffocantem supponit. Imo vidi hominem pœne suffocatum veli palatini; & immodica uvulæ tumefactione aquosa. Sed non omnes inde mortes subitaneæ; quæ sepe e longinquo petitæ, vitia diuturno tempore latitantia supponunt.

LXXIV.

Cibus, & potus nimius, non solum retenti perspirabilis acrimoniam, sed etiam partium, præ-

præcipue non principum, pravos affectus diu occultant, qui, dum corpora purgantur, vel inedia tractantur, derepente erumpunt, & in gravissimos affectus facessunt.

Cibus, & potus nimiopere sumpti, si non nocuerint illico, falsas vires corpori communicant, quibus vitium increscit, sed dissimulatur, dum quotidie novo proventu chyli obruitur, & obtunditur acre, reviviscens ab ipsa nova materia, quæ coqui perfecte in vitiato corpore nequit. At ubi, vel nimia vacuatione debilitas inducitur, vel inedia, malum tum exardet, consumptis naturæ adminiculis, quasi moveris Camarinam, insuperabile. Quia scilicet, omnia ex insidiis latentibus labem concepere.

LXXV.

MEDICUS, qui præest rationi victus Principum, si nesciat quantum, & quando quotidie perspirant, illos decipit, & non medetur.

Vide Aphorismum II. Sectionis primæ.

LXXVI.

A cibo quatuor horis circiter vix libram plurimi perspirant; inde ad nonam duas libras; a nona ad decimam sextam vix libram.

Vi-

Vide Sectionem jam passim.

LXXVII.

TUNC erit cibandi tempus, quando corpus reducetur ad illud pondus, salubre tamen, quo fruebatur paulo antequam hesterno die ingessisset cibum: istud solus Apollo sine trutina sciet.

Steriles legisset arenas, ut verum caneret, & mersisset verum in pulvere Ammonis, Apollo, si quod ad paucissimos pertinet, statuisset pro unica necessarii victus regula. Melius nobiscum egit providentia, quæ sensum harumce rerum judicem constituit.

LXXVIII.

SIN vero nocturnæ potationis pondus insolitum, neque a robore concoctricis, neque a corruptela die sequenti tollatur, locum habent illa duo carmina.

Si nocturna tibi noceat potatio vini,
Hoc tu mane bibas iterum, & fuerit Medicina.

Qui vino, & crapulæ assueverunt vix ea carere possint; alioquin tremuli, debilitati, vix pedibus valent insistere. Malum malo medetur. Sed sera pœnitentia; infarctibus cruciantur ebrio-

ebriosi, quos efficit solidorum vis effœta, vappida liquorum indoles.

LXXIX.

Si salubre corporis pondus a cœna est ducentarum librarum, corpus ob nimium coitum factum minus salubre, erit centum nonaginta octo librarum circiter; quia virtus illa languidior impedit, ne duæ alimentorum libræ possint saltem sine aliquo angore in pondus salubre converti.

Difficile videtur experimentum universale in tali casu constituere. Variat enim effectus pro ætate, corporis conditione, viribus; ita ut etiam aliquando sit salubris coitus, ut dicetur infra.

LXXX.

Cibus facilis perspirationis facilius, & longe minori angore resarcit vires coeuntium collapsas, quam difficilis, seu multi nutrimenti.

Viribus enim collapsis levia, & concoctu facilia porrigenda sunt. Alia enim vires superarent.

LXXXI.

LXXXI.

Mustum aliquantulum turbidum, si in ventriculo coquatur, non solum perspirat, sed maxime juvat aliorum eduliorum perspirationem: hujusmodi virtutis sunt calida flatulenta.

Mustum enim, si fermentationem halituosam in ventriculo non subeat, saponaceum leve suppeditat alimentum, cito difflabile.

LXXXII.

Cepæ, allium, caro vervecina, phasiani, maxime omnium succus Cyrenaicus juvat perspirationem eduliorum ægre perspirabilium.

Cepæ, allium, assa fœtida, non perspirationem juvant, sed partibus volatilibus motum addunt sanguini, & robur cardiacum, quo languens aliquando promoveatur coctio. At carnes hic nominatæ agunt tantummodo, dum bonos suppeditant succos.

LXXXIII.

Cibus valde paucus a ventre non amplectitur: inde non coquitur, non restaurat, non perspirat. Fit

Fit enim cito citius acris materia, quæ ad instaurandum insufficiens, copiæ rapide moti sanguinis inæqualis, vix aliquem edit effectum.

LXXXIV.

Perspiratio insensibilis est excrementum tertiæ coctionis : quare si non fiat prima, neque tertia fiet concoctio ; neque perspiratio.

LXXXV.

Ob rigidam inediam, caput repletur, pulsant tempora, tenduntur hypochondria, brachiorum, & crurum lassitudo fit.

Caput impletur ex mala stomachi conditione, & morsu bilis acrioris reddita. Hinc erethismus, quo pulsant tempora. Deprimitur hepar; hinc rigent hypocondria; vires languent; prosternitur ob putredinem, antea vorax appetitus; fit inflammatio, cito in gangrænam degener.

LXXXVI.

Exinanitio a cibi pauxillo major, quam a pharmaco, quod movet quidem sensibilem, sed insensibilem evacuationem divertit.

Fatendum est nihil fixi ab hac propositione in mente nasci, & hærere; cum nulla sit proportio, nulla actionis paritas, inter diætæ genus austerum, & pharmaci operationem; quæ tantummodo dijudicari potest ab ejus vehementia, & corporis debilitate.

LXXXVII.

Ventriculo in horis matutinis vacuo ob omissam cœnam, in pituitoso valde juvat edulium siccum, ut biscoctum.

Crediderunt enim veteres ab hac praxi absorberi, & destrui pituitam. Nobis satis sit, si constet, minorem ejus inde produci copiam, & sicciora conflari principia.

LXXXVIII.

Edulium quatuor librarum circiter semel in die sumptum, si noceret; bis, vel ter ingestum juvaret. Plenitudo ventris evacuationem insensibilem divertit.

LXXXIX.

Nemo incidet in morbum, si sedulo prævideat, ne cruditatibus laboret.

Mul-

Multi sunt morborum fontes, qui nullatenus a cruditate pendent, licet nulli sint, qui eam non inducant.

XC.

SENES ter sumere cibum in die, ut Antiochus, tutius est, quam bis, vel semel: multum impedit perspirationem.

Diæta senum in Antiocho a Galeno expressa, in eo consistit, ut vires sustententur additione levi; non graventur, aut suffocentur onere.

XCI.

PISCES in cœna cur non sumebat Antiochus? Quia morantur perspirationem. A somno fit utilis perspiratio; qua feriata vires languescunt.

Quod de piscibus in genere pronuntiat Sanctorius nimis universale est. Sunt enim saxatiles vulgo dicti, levis nutrimenti, & qui cito putrescant; adeoque brevi in debilibus concoquantur.

XCII.

SUCCI cucumeris frigiditas, & crassities

in venis conservatur: imo alii succi pravi, licet sint coctu faciles, prohibendo perspirationem, efficiunt malignas febres.

Succus cucumeris per se ad catharsim corpora disponit; inest enim ipsi vis illa. Sed ex ipsa sua doctrina, in altera propositionis parte errat auctor noster. Necesse enim est, ut quod facile coquitur, facile perspiret.

XCIII.

Cibi corruptela cur efficit lassitudinem? Quia divertit perspirationem. Sed quomodo? Quia facit cœliacum. Sed cur cœliacus lassitudinem facit? Quia una cum excrementis exit aliquid primi cibi bene cocti.

Nulla est cibi corruptela, quæ non aliquam efficiat lassitudinem, eamque subitam, v. g. a vorato ovo putrido nascuntur illico languor, & nausea. Non oriuntur phænomena hæc a perspiratione impedita. Nam alacritatis defectus ille, ab afflatu putrido pendens, multo celerior est perspirationis vitiis.

XCIV.

Si quis corpore defesso eat cœnatum lautum; a somno statim carnes frigidæ, & lassitudines; a cœna tamen duodecim horis circiter

citer emendantur omnia: quia, tunc coctio, & perspiratio utilis fit.

Pro defatigationis ratione languent vires coctrices, cæteris proportionales. Illæ ubi sola quiete instauratæ fuerint, omnia reparanda fore, sperandum est.

XCV.

Cibus a violento exercitio nocet; tum quia illum non amplectitur corpus, tum quia perspiratum divertit.

Hinc avidissimum genus canum, si statim a cursu violento edant, evomunt. Desunt vires; deest liquidum, masticationi, & coctioni necessarium.

XCVI.

Qui it cœnatum animo perturbato, longe minus digerit, quam quietus, & lætus.

Animi pathematibus, præsertim tristibus, omnes coctiones prosternuntur, & turbantur. Languet motus; languet, & ipsa respiratio. Spasmus tamen latet; sed cor ipsum premit, & ejus motum impedit.

XCVII.

Potus inter prandium, & cœnam nocet. Sed si tantumdem minus in cœna potamus, tollitur nocumentum.

Quia dum fit coctio, novi liquidi proventus vappidam efficit molem, & ordinem naturæ interturbat.

XCVIII.

Vomitus a cœna debilitat, quia amovet alimentum; tum quia divertit perspirationem.

XCIX.

Semel, aut bis in mense facto excessu in cibo, & potu, die sequenti licet sensibiliter non evacuet, minus solito perpendit.

C.

Victus uniformis caret beneficio illorum, qui semel, vel bis in mense excedunt; expultrix enim a copia irritata excitat tantum pespiratus, quantum sine statica nemo crederet.

Ma-

Maxime notandi sunt duo hi Aphorismi, qui præceptis vitæ uniformis aliquam dant exceptionem. Id jam prædixerat Hippocrates. Scilicet, excessu illo intra moderationis leges statuto, stimulus additur, qui resides fibras exstimulet; adeoque nova actione quasi expurget stagnantia, & hærentia. Sed periculosum est, his ita credere, quasi prosit peccasse. Intra moderationis metas excessus concludi debet; secus susdeque verteret omnia.

CI.

In frigido corpore mel juvat; quia nutrit, & perspirat. In calido nocet, quia bilescit.

Mel, & saccharata omnia, non fermentescunt tantum, sed etiam rancescunt oleorum more. Cui mutationi calor spontaneus multum conducit.

CII.

Nihil magis impedit perspirationem, quam potus, dum fit chylus.

Vide supra.

CIII.

Jecur, ob refrigerationem minus trahit

chylum; longe minus expellit perspirabile.

Per jecoris refrigerationem intelligebant veteres, virium coctricium debilitatem. Huc ergo illa refertur sententia; quo minus coquitur, eo minus perspiratur.

CIV.

IN homine sano alvus lubrica, vel fit vitiata coctione, vel chyli dispensatione ob prohibitam perspirationem.


Id est, vel ob defectum primæ coctionis; vel ob stimulum intestinales glandulas sollicitantem; vel ob retropulsum materiæ perspirabilis in intestinales glandulas.

CV.

BONÆ valetudinis pestis duplex: corpus ex toto tradere quieti; & comedere ante cibi præcedentis concoctionem.

Hippocratica hæc sententia totam comprehendit circa usum ciborum Hygieinem. Ut scilicet sint illi laboribus proportionales admodum; & ita disponatur eorum usus, ut dum secundæ coctioni vacat natura, a prima, seu stomachali superveniente, non occupetur, interrumpaturque.

SE-



SECTIO QUARTA.

De Somno ad perspirationem comparato.



INTRODUCTIO.

VITA hominis, ut & cæterorum omnium animantium ex somno, & vigilia, ex motu, & quiete tota constituitur: quæ quidem corporis conditiones ita alternas vices servant, ut licet differri possint, & per aliquod tempus arceri, atque removeri, tamen iis per nimia intervalla carere corpus non possit. Somnus quidem; dono Divum serpens gratissimus, exhaustas corporis vires ita excipit, ut fatigatos insuperabili necessitate alliget, & vinciat, & sæpe intentatas mortis minas, & feralem bellorum tumultum exsuperet indomabilis. Infantibus recens natis fere perpetuus, cibos iis frequentes consequitur, ita ut eorum vita in duobus, hisce, ali, & dormi-

re,

re, quasi tota consistat. Quo corpus magis increvit, eo etiam tardior ejus necessitas ingruit, ita tamen ut junioribus longiores obrepant somni; proflentur profundiores; ætate provectis leviores competant, & breviores, ipsaque senectus, ἀγρύπνος Euripidi dicta, vix, nisi a recenti cibo rigidas alluente fibras, indormiat. Omnibus iis, qui laboribus vires exhausere, qui membra duro labore confregere, somnus longior, placidior, profundior expectandus est. Hinc humiles pauperum casas non fastidit dulcissimus sopor, fugit contra otiosorum, & molli diffluentium luxu atria. Beatam illam animi placiditatem, qua dum corpus vires exercet, mens in seipsam bene conscia conquiescit, diligit præcipue, & sectatur somnus, exhorrescit, & deserit animi affectus turbulentos, irrequietos, & curas sub aureis laquearibus anxias; quippe misere occupata mens, tono spasmodico corpus inficit. Uno verbo, quo fuit intensior vigilia, eo etiam major somni necessitas ingruit, eo ab illo efficacior reparatio, nisi aliqua vigiliæ causa vivax soporiferæ obsistat laxationi. Ut autem mechanicam somni rationem agendi valeamus mente comprehendere, physicosque ad calculum revocare effectus, observasse sufficiat, quænam ipsum comitentur phænomena, sive placido papavere nictitantes indormientium oculos perfundat, sive alto sopore quietos deti-

detineat, sive demum vigilia pulsus aufugiat.

Quemcumque longa vigilia, exercitiumque laborum constans ad somnos adigit, hunc intuere. Penuria somni laborare deprehendes facile. Musculis globum oculorum stringentibus quasi laxatis, & justam pressionem renuentibus, perit oculorum nitor, & ipsi quasi errantes huc, & illuc versantur. Fatiscunt quodammodo faciei musculi, nec juventæ suus nitor, nec formæ suum remanet allectamentum. Connivent palpebræ, nec nisi cum nixu, attolluntur, hebetatur ipsa mens, steriles sunt ideæ, ratiocinium imbelle, judicia incerta, methodus nulla. Brevi propendebit caput quasi delapsurum, crura labascent, extendentur artus digitis manuum leviter inflexis victo extensorum musculorum antagonismo; adest somnus, cui si nihil obstet, brevi ille profundus evadet.

Tum vero presertim in lecto commode compositis, oculi clausi, artus motuum, & sensuum obliti, quam tenuere posituram servant, turget brevi cutis & quasi inflatur, roseo colore perfunduntur genæ, præsertim in infantibus, in iisque cutis turgidula remanet, quasi a protensis cutaneis vasculorum villis ros quidam per totum corpus obtenditur, rori illi fructuum ab arbore recens decerptorum æmulus. Respiratio in adultis alta, profunda, cum sonitu a laxatione veli palatini pendente, & simul rara observatur.

Tum

Tum pulsus tardus, æqualis sentitur, & calor uniformis, qui tamen tum ad sensum, tum ad thermometrum minor est illo, qui vigilantibus, & ad actionem promptis competit. Placida hæc scena plures per horas agitur, & si nulla vis externa inciderit tandem saturum somno corpus e sopore ad vigilias reducitur. Scilicet fit in juvenibus præsertim levior somnus, & quasi vigiliam inter, & soporem medius. Tum, velut diuturnitate situs ejusdem delassatum foret corpus, posituram artuum mutat, oculi tandem lumen accipiunt, & si jubare ejus perculsi sint, hiulci nictitant. Mens ipsa redit, hebes primum dein alacrior, artus variis motibus, sive pandiculationibus, ut ajunt scholæ, fingunt se ad exercendos motus, oscitationibus novum sibi robur conciliat respiratio, & quasi opprimentem molem discutit. Cito detumescit facies, laxiorque vestium compages constringi se postulat. Jam instauratus homo, & opus resumit, & ad illud aptus surgit. Sed multi per horam integram ad illud inhabiles restitant, si præsertim vi discussus fuerit sopor.

Senioribus, quibus minor somni necessitas inest, aridæ fibræ non intumescunt, & a somno in vigiliam facilior est transitus. Minus etiam pandiculationum est. oscitationum minus. Et notandum illud est ad caussas, & effectus somni attendentibus, non dees-

se in sopore apoplectico, aut veterno lethargico, ubi levior est, oscitationes, atque pandiculationes, cæteraque somni naturalis phænomena: totaque sæpe in eo discrepantia consistit, quod ille somnus a causa morbosa inductus, vel vix, vel numquam in vigilias transeat, nisi auxiliis artis potentioribus, nec, nisi sublata causa, in pristinum statum revocetur corporis integritas.

Præterea suæ sunt somno horæ. Licet enim post octodecim, in adultis, aut circiter vigiliarum horas, sese somnus necessarium vi quadam admoneat, plures per dies protrahi potest vigiliarum intervallum, modo durioribus non delassetur corpus laboribus. Norunt id non sine ingenti defatigatione, quos bellorum fragor exercet, & a somno arcet præsens periculum, aut sopori pretium mori impositum: idem quotidiana magis experientia sentiunt illæ, quæ ægrotis assistunt mulieres. At si illos consulas, licet, & curæ anxiæ remordeant, & præsentis mortis periculum anceps vigilias commendet, ante solis ortum, cum jam nocturnum frigus, extincto omnino calore pridiano, & atmosphæræ fervore sævit acrius, jamque portas cæli pulsat aurora, tunc omnium mortalium vires labascunt, mox orto sole reficiendæ, & instaurandæ; tunc omnes æque urget brevis illa quidem, sed vix exsuperanda somni necessitas. Noctis enim tempora som-

somno dedicavit providentia.

Cæterum vero hic ingens est assuetudinis momentum. Nec ulla alia ex rebus non naturalibus hujus imperium adeo patitur, ac somnus. Vulgare est axioma, somnum a somno produci, vigiliam a vigiliis induci; & certe si te somno longiori dederis, torpore quodam diurno conflictari eveniet, noctemque tanquam optatissimam metam, vix facile opperies. Profundior invadet somnus, & tandem dormiendi necessitas vertetur in habitum. Somnus corripiet nolentem, fies vigiliarum impatiens. Qui vero immodicis sese vexant vigiliis, his brevi vigilandi habitus somnos aufert, frustra postea quærendos, nisi ars novos induxerit habitus. Utrinque opposita metuenda esse discrimina ipsa ratio indicat. Deditos enim somno, omnia pati laxitatis, torporis, veterni pericula observatum est. Hos adipe pingui diffluere, & sæpe obrui videas. Qui contra sese vigiliis exercent, macilenti, aridi, oculis intra orbitam veluti inclusis, nitentibus, & siccis distinguuntur, & morbis omnibus inflammatoriis patent, aut melancholicis: hinc ut primos ingenio tardos, crassæque Bœotum minervæ sacrandos, ita alios contra nimiæ actuositatis impetu ferri, & immodica sensilitate præditos, nemo non sentit. Imo ut primi ad alimenta vulgo tardi sunt, & vix appetentes, ita alii voraces sunt, & ingenti

fa-

fame ad oblata quæcumque feruntur; nisi tamen somni penuria a mærore pendeat, & tristioribus animi affectibus debeatur, qui, dum somnum impediunt, stomachum etiam subvertunt.

Ex hisce observatis universalibus pronum est concludere, somnum sanitati quidem, imo & vitæ prorsus necessarium esse, & ejus partem constituere; duplicemque ejus esse in natura animali correlationem: alteram scilicet cum intensitate actionum, quæ vigiliam constituunt, alteram cum cibo, & potu. Ita ut multo fortius dormiat, qui vigilando plures motus exercuerit; nec possit diu somno frui, qui vasa humectando, & chylaceo rore perfundendo non irrigaverit; contra vero vix soporis papaveribus possit contra obsistere, qui sese oppleverit cibo, & potu. Sunt vero aliunde in ipsa alimentari materia substantiæ, quæ somnum vi intus insita, vel maxime invitis concilient, de quibus hic agere ex proposito nostro esse non potest.

Porro ab hac evidentium effectuum observatione, physicos effectus eruere non arduum est, a quibus tot phænomena pendeant. Evidens enim est homini somnum ineunti laxari omnes artus, & cessare non actiones tantum, sed etiam facultatem ad actus quoscumque exercendos; vitales motus perennare quidem, sed quasi resolutis omnibus aliis viribus, tonicoque motu cessante vasa hiare

om-

omnia, & liquores vi cordis intrusos facilius excipere; hos ergo per ampliora exspatiari spatia, minoresque experiri resistentias a languente vasorum actione, placido musculorum otio, unde leni, tardo, æquabilique motu fluant liquida; sed simul deesse stimulos exsuscitandæ celeritati, deesse aut saltem imminutam esse admodum vim comprimentem, exprimentem, qua vis expulsiva major fiat, adeoque licet nullum sit somni in vires illas imperium; somni tamen effectibus languere illas defectu adminiculorum, si saltem eas ad vigiliæ statum contuleris. Hinc facilius est per somnum liquidioribus moleculis impleri vasa minima, illa vero patentiora iis turgere, eas excipere, adeoque pleraque nutritionis, & secretionis physicæ phænomena plenius, & rectius somni tempore adimpleri: quia æqualius omnia peraguntur. Tum vero, quæ facile causis impellentibus cedunt vasa, liquidis tardius motis impleri magis necesse est, unde fit, ut caput plus sanguine oppleatur, ut facies plus rubescat, & quæ molliora sunt ad cutem vasa, plus etiam ad aspectum sanguine evadant, rubicunda, aut lympha pellucente nitidiora. Secretiones ergo etiam per somni tempora interrumpuntur, præter illas tamen, quæ quasi sponte, e sanguine sibi relicto, defluunt, ut sunt sudor, si aqua intus exundet, adeps, si oleum vegetabile in chylo exuberet, imo

& si

& si pori cutanei aquæ superabundanti exitum denegent, aqua in ipsas cellulas loco adipis diffundetur.

Inde etiam non difficile intelligitur, cur eo præcipue tempore somnus obrepat, quo chylus recens fibras perfundit rore novo, & penitus crudo. Liquor enim ille a pastu recens nondum illas dotes assecutus est, quibus & secretiones effingere novas possit, & spiritus viëtos instaurare, & fibras tensione justa exornare. At quem crudum sumpsit somnus, reddit vigiliæ coctum, & nova nitidum juventa, renascentibus aptum functionibus exercendis, & renovandis viribus. Hinc, quo leviorem chylum sanguini concedimus, eo, & leviores carpimus somnos, citoque eos habebimus difflabiles, si cito diffletur, & exhalet cibi efficacia. Hinc etiam cum vigilia in tensione, somnus in atonia consistat, certum tensionis spatium excipit somnus, sua renuens iis papavera, qui perpetua tensione anguntur, & divexantur, sive mordaces curæ tonum instaurent, sive eum renovent labores indefessi. Hinc etiam debiliores fibras videmus longioris somni spatia sibi vindicare, ut in junioribus, rigidæ vero senum fibræ, ut minoris tensionis capaces sunt, ita minimam experiuntur atoniam, minimeque somno indigent. Hinc etiam lassitudo ad somnum invitat, quem contra fugat otium. An vero relaxatio illa a compressione cerebri re-

que alimentorum necessitate viget, & sartam tectam sese tuetur corporis animalis œconomia, quo reciprocorum officiorum ordine nullum est ex terrestribus animalibus cognitum, quod non indigeat, quod, & ipse summus omnium rerum conditor firmo stabilivit imperio, cum noctis, dieique vices æterno fœdere composuit. Nocte enim, silentibus omnibus, cessanteque mirando illo rerum omnium spectaculo, ad somnos ipsa nos invitat natura, ipsa atmosphæra sub noctis initia vaporibus per diurnum calorem quaqua versum diffusis effæta, minus usibus nostris apta fit. Hos nocturnum frigus addensans, & agglomerans rursus in terræ gremium reducit. Et ubi pura affulget aurora, tunc aer lucidus, & levissimis tantum spiritibus fætus, halitu salubri, & mire elastico, corporis a quiete, & somno recentis molem perfundit, in ea infunditur intimius, & respirationi, adeoque toto circuitui novas addit vires, & calorem instaurat vitalem illum, & actuosum. Forsan, & sera deteget ætas, quid per purissimum aerem transvecti addant corporibus nostris electrici, phosphorici, spirituosi subtilissimi, renascentis solis radii. Quibus quidem maximi ad sanitatem momenti beneficiis carent illi, qui contra naturæ leges stare ausi, noctu reliquias aeris vieti, lucernis accensis aeris nativum elaterium cicurantibus, hauriunt imprudentes,

per æstum diurnum præpostere dormiunt, [& vivificos auroræ radios, novæque atmosphæræ beneficos halitus male consulti fugiunt, concoctionique nocent, dum per æstum cruda proflant, sibi fieri satis autumantes, si tantumdem per horas indormierint, & vapores hauserint, qualiscumque acris ad vires renovandas jam minus idonei. Id nostris muliérculis, & aulicis familiare vitium non minimam eorum sanitati labem inussit. Ex hisce hygiastica omnia circa somnum problemata solvuntur, omnia observata Hippocratica enodantur. Quorum quidem primum, & præcipuum in eo consistit, ut eas intelligamus naturas, quibus maxime necessarius est somnus. Relaxatione porro præcipue egent illæ, quæ nimia laborant tensione, seu vibratilitate maxima fatiscunt. Hæ per se, & magna indigent reparatione, & plurimum amittunt. Quos vero nimia laxitas adipe obruit, & veterno torpentes, otioque diffluentes sopor urget mentis, atque corporis, hos vigiliis vexare, hos onerare laboribus, curis premere, salutare est. Brevis ipsis somnus esse debet, quamquam aliter suadeat impotens ad labores natura. Rigentes tamen fibræ, & ipsa sua rigiditate inertes bene somno carent, ut seniles. Tensæ, & ipsa sua debilitate tensionem affectantes in fæminis somno bene reparantur. Juvenibus plus somni concedatur, modo tamen medio-

diocritatem non excedat indulgentia. Si brevior fuerit somnus, omnes nimiæ tensionis effectus metuendi erunt, morbisque inflammatoriis patebit aditus. Tum coctio arida quidem, sed imperfecta vires non instaurabit, exhaurientur illæ, & ad phtisim per melancholiam tristissimam homo delabetur, si tamen deliria, furores, febres a melancholia mota ardentes, scenæ illi finem non afferant. At contra longior somnus, protracta coctione, acria evolvit, & in laxitate nimia putridam simul liquoribus indolem conciliat, *colliquefacit*, συνθήκει ut verbis utar Hippocraticis, unde humorum congeries male aggesta, sensuum hebetudo, defatigatio ad levissimos motus, pulmonum, & variorum viscerum infarctus, ad miserrimum hydropem, inertium corpora obtusa, & languidula devolvunt. Proderit ergo mediocriter somno indulsisse, & præcipue ciborum concoctioni in somno concedendo attendere, quippe quæ eo plus somni sibi postulet, quo fuerit copiosior. Hinc patet, quam male sibi consulant, qui credunt somnum posse per ciborum copiam compensari. Id sæpe sedulitas præpostera artis male consultæ persuasit. Cum scilicet per vigilias ingens fiat exhalatio, credunt illi ciborum proventu uberrimo posse vigiliarum obtundi effectus. At sine somno nulla perfecta coctio. Unde non minus illi, qui credunt somno largius adhibito prandia

minus necessaria, quia minus per somnum exhalet, opposito errore, a vero aberrant. Somnus enim nisi cibis adhibitis non reparat; & vigilia sine somno non bene concoquit. De quibus nemo ab Hippocrate, melius disseruit Sanctorio, & sequaci dicam, aut ejus æquali Gortero. Hyeme tamen longiores somnos posse concedi ipsa noctium longitudo monet. Quo enim tempore frigescit atmosphæra, coctio longior, & difficilior est, ut, & cæteræ spontaneæ mutationes, & fermentationes omnes, de quibus, quantam cum coctione nostra servent analogiam, hujus loci non est expendere: satis fuerit advertisse ipsas etiam morbosas coctiones per hyemem tardius adventare, quod annotavit præcipue post Hippocratem, & Galenum noster Ballonius.


In genere tamen, quocumque tempore, quacumque ætate, præter puerilem ultra septem horas dormire nimium est, brevior vero somnus, quinque horis, instaurandis viribus vix sufficit. Hic tamen ingens assuetudinis habenda est ratio. Novique virum præstanti donatum sanitate, nec mediocribus deditum laboribus, qui quadragenario major vix a quindecimo ætatis anno plusquam quinque horas indormiit. Hic si longiori somno censuerit in ulgendum, seseque ipsi tradiderit imprudenter, totum per diem sequentem, veterno torpidus capitis dolore breves illas ple-

plectit delicias. Nec omnino hic respuendum est Celsi consilium suadentis, nunc vigilias protrahere, nunc contra longius somno indulgere, ita ut reparetur natura, nec tamen habitum sibi necessarium inducat. Qui enim statis horis stertere didicit, is vel maxime prementibus officiis deturbari vix poterit, quin ad eamdem horam stertat, & elanguescat miser, vixque, vel ad reformidati aspectum tyranni, non indormiat, aut saltem inurbanis oscitationibus, atque pandiculationibus torpidum exsuscitet circuitum. Sin minus labes ingens affuturæ perspirationi inuritur, quæ vix plurium dierum quiete reparari queat, ut docuit Sanctorius.

Mos est pluribus populis in habitum ductus, ut meridiano tempore, aliquas sibi horas somni concedant, quas nocti ut plurimum detrahunt. Imo fere omnes æstuantium locorum incolæ, quos sol anhelis afflat equis, urget ineluctabilis dormiendi necessitas, dum medios æstus accendit astrum directius, qua carere illos vetat, ardor tunc temporis, in atmosphæra exurens, omnimodam inducens ad actiones impotentiam. Hinc intercluso radiis solaribus aditu, per vapores aqueos refrigerato aere, otium sectantur, a quo in somnum delabi necesse est, si præsertim cibos sumpserint, quibus concoquendis tota naturæ effætæ, & languentis vis, vix sufficit. Hunc morem iis detrahere si

velis, frustra ratione contra contendas. Et certe fervente illo calore corpora exurerentur, liquidissima omnia ante coctionis tempora avolarent, si non frænaret effectum caloris, frigus arte quæsitum, & molem liquidorum cohiberet placidior simul, & minus caloris ingenerans somnus; qui nocturna vigilia, vel potius matutina expergefactione rependitur. At borealibus populis inutilis est illa meridialis quies; nec illis, quibus sufficiunt nocturna somni tempora. Imo sæpe longior vigilia necessaria est torpentibus acri frigore, per quam vires auctæ exerceantur, & somno brevi postea coquatur, & distribuatur ea materies, quam tenuavit vigilia indefessa; ita ut somno meridiano apud arentes calore populos minuantur vires vitæ, & earum impetus obtundatur, vigilia vero non interrupta apud boreales augeantur illæ, & intendantur, unde somnus coctionem inchoatam absolvat, sicque opposito mediorum usu natura eumdem assequatur finem, in facienda coctione, & perspiratione æquabili, ad quam semper instituto maxime laudabili tendit, licet finem propositum semper ob incommoda millena non assequatur.

DE



DE SOMNO, ET VIGILIA.



SECTIO QUARTA.



APHORISMUS I.

SOMNUS placidus adeo favet perſpirationi, ut ſeptem horis quinquaginta unciæ cocti perſpirabilis in robuſtis ſæpe exhalent.

Immoderata hæc perſpiratio, quam una nocte fieri ſupponit Sanctorius, experimentis Keillianis, Gorterianis vero præcipue repugnat. Imo, & adverſatur rationi; cum a ſomno motus quidem ſanguinis æqualior ſit, ſed lentior, & a ſopore exſurgentis hominis vaſa evidenter turgeſcant. Veriſimile eſt matutinam cum nocturna perſpiratione ab auctore noſtro copulatas fuiſſe; imo, & illum utriuſ-

que

quę simul sumptæ extrema sumpsisse, quæ ad hanc copiam in nostris saltem climatibus non ascendit.

II.

DORMIENS septem horarum spatio, occulte, salubriter, & sine violentia, perspirare solet duplo magis, quam vigilans.

Rem aliter se habere demonstravit Gorterus, vir in his non minoris ponderis Sanctorio. Præparat quidem perspirationem somnus, non facit. Quæ fit a somno statim perspirationis suppressio, ea ob suppressi copiam, & retropulsi humoris, periculosa maxime.

III.

PERSPIRATIO dormientis, quæ cum multo sudore fit, non est plenior, quacumque insensibili perspiratione sine sudore.

In quo differat sudor a perspiratione, alibi satis dictum. Illa, a copia vel cruditate humoris orta, onus quidem detrahit, sed vires non reficit. Ergo lassitudinis potius sensum, quam alacritatis, & roboris inducit.

IV.

A somno nocturno corpus sentitur minoris ponderis; tum ob vires auctas; tum ob exhalationem saltem trium librarum excrementorum.

Vires

Vires somno resarciuntur, & applicatio succi nutritii in vascula patula præcipue fit. Hinc robur, & alacritas, qua maxima concitetur perspiratio.

V.

Somnus inquietus impedire solet trientem solitæ perspirationis.

Somnus inquietus fit non ab una causa. Fere omnes perspirationi nocent. Sed si ab inedia somnus inquietus sit, certe tum perspirationi non potest nocere. Aut si eam imminuerit, naturæ potius utilis dicendus foret, quæ vacuationem non postulat.

VI.

In somno placido, perspiratio aliquando major est, data temporis paritate, quam in exercitio violento.

Mirum est quantum exercitium opportuno tempore sumptum perspirationem augeat. Unde quos somnus humectat, siccat exercitium. At si præpostere sumatur illud, dum cruda ad cutim defert, dum vires exhaurit, & repationem earum impedit, nocet. Quod, somno coctionis organo perpetuo, non potest opprobrium obtrudi.

VII.

In somno matutino, sed peracta prima co-

coctione, libra perspirabilium excrementorum horæ spatio; non peracta, nec quadrans exhalare solet.

Horas matutinas a somno perspirationi præcipue sacras observavit Sanctorius. Quam nunquam, nisi coctione peracta, utiliter, & copiose profluere, ratio ipsa indicat.

VIII.

QUÆ impediunt somnum, impediunt quoque perspirationem cocti perspirabilis.

IX.

SOMNI breves fiunt ab acrimonia perspirabilis retenti. Perspirabile vero sæpe retinetur, quando natura aliis internis muneribus plus solito est occupata.

Quoties latet irritatio, somnus abest. Quoties natura molitur aliquid, latet irritatio. Hinc purgantia hora perspirationis sæpe adeo nocent.

X.

ACRIMONIA perspirabilis retenti, vel sæpissime petit caput, turbat somnum, & partium superiorum perspirationem divertit.

Sive a frigore pedum, sive a causa aliqua supprimatur perspiratio, illico nascitur coryza; illacrymant oculi. Sive quod stringatur facilius aeri patenti exposita membrana Schnei-
de-

deriana, sive quod partes aliunde expulsas calidior facile excipiat illa. Unde primum capiti, dein thoraci a suppressa perspiratione labes inuritur.

XI.

Si quis a somno sentiat brachia dolentia, vel plus solito defatigata, significat corpus esse majoris ponderis, quam natura diu ferre possit.

Fractas, nec reparatas vires indicat spontaneus musculorum dolor. Humore vero gravari, signum est crudo, nec expulso, absentia aliarum causarum. Hinc perspirationis retentio, vel ante staterae judicium, in justam suspicionem venit.

XII.

Qui dormiunt pedibus, ac coxis detectis, noctis spatio libra perspirabilis exhalare prohibetur.

Impressio enim in unum locum sensu vehementiori afficit, quam quae in singula corporis puncta dispertitur. De quantitate suppressae perspirationis, vide Gorterum in hunc locum.

XIII.

Perennis in lecto agitatio corporis magis agitat, quam velox cursus: in motu enim currentis solum musculi infernarum partium cor-

corporis; in motu jacentis musculi fere universi corporis moventur.

Imo aliquando ab hac volutatione luxationes, & subluxationes observantur. Aliunde adest irritans causa, quæ quietem non interrumpit tantum, sed motu perpetuo frangit. Unde non ab una causa agitatio ingens. Confer XC. Sectionis primæ.

XIV.

Magis prohibetur perspiratio in dormientibus ab austrina aura frigidiuscula, quam in vigilantibus ab ingenti frigore.

Quia quod patulum esse debuit, stringitur vehementer; & impressio fortis quaqua versum extenditur. Interea dormientibus fibrarum renixus, & reactio fere nulla; quæ in vigilia, tono vigente, impressioni externæ æqualis est.

XV.

Si somnus nocturnus minor solito sit, exhalatio cocti perspirabilis imminuitur; crudi vero augetur.

Placida, somno absente, abest concoctio: deest ergo perspiratio.

XVI.

A cibo facilis perspirationis corpora potius debilia, quam ponderosa, a cibo vero dif-

difficilis, debilia, & ponderosa fiunt.

Optima hæc sententia pendet a proportione semper instituenda inter cibum, & vires. Nam cibus levior non nutrit, nec reficit cito exhalans. Cibus vero durior, si non concoquatur, gravat, nec nutrit.

XVII.

PERSPIRATIO a somno facta differt specie ab illa, quæ in vigilia. Prima est coctorum perspirabilium sine acrimonia, & cum virium levamine; secunda est crudorum, acris, violenta, & cum labore.

Cocta perspiratio, excrementum tertiæ coctionis legitimum, puri sanguinis reliquias aufert secundum naturæ ordinem. Quæ fit semper, & omni tempore exhalatio, aquam, spiritus rectores, acidam, acrem proluviem sæpe aufert. Et nimia sæpe utiles tollit partes a sanguine.

XVIII.

DUPLO magis dormiens perspirat vigilante. Hinc illud famosum: *duæ horæ quietis in vigilante perinde juvant, ac una somni.*

Quies tum mentis, tum corporis ad aliquam somni speciem refertur, imo & somnum invitat. Hinc ipsi etsi non suppleat, tamen ejus vices aliquatenus explet. Qui enim non dormiunt, hos exercitio defatigare nefas esto.

XIX.

XIX.

Perspirationem insensibilem cursu septem horarum in dormiente, inveni in multis esse quadragintâ unciarum circiter; in vigilante, viginti.

Id nullis experimentis congruere, præterquam in iis, quæ in aere Paduano facta sunt, alibi satis demonstratum.

XX.

Qui vacuo ventriculo it cubitum, ea nocte tertiam partem minus solito more circiter perspirat.

Ut aliquid ex hoc experimento concludatur, scire necesse fuerit, quid a prandio crudi, aut cocti residuum fuerit intra corpus. Ita multis salubre est cœna caruisse, quæ cruda generaret. Inassuetis etiam cœna insolita plethoram facit, ut observavit Hippocrates.

XXI.

Biliosis, qui eunt cubitum stomacho omnino vacuo, venter, & caput implentur crudis, pulsant tempora, eliquantur carnes, tensiones vehementes circa brachia, & manus oriuntur. Excitatur aliquando morsus cordis, vertigines, & epilepsiæ; ut accidit Diodoro,

Biliosi minime jejunium ferunt. Iis ab inedia

dia nascitur irritatio, ab acrimonia non renovatorum humorum. Hinc ventriculi remordens vellicatio, & irritatio caput impetens. Hinc nervorum omnium constrictio. Cæterum, hanc ab Hippocrate, de prisca Medicina, mutuatus est sententiam auctor noster, cujus exemplum Galenus affert in Diodoro.

XXII.

A solito majori perspiratione, plenioris cœnæ usus semper somnum longiorem, & jucundiorem pollicetur.

Perspiratione pleniore facta, corpus ab omnibus quisquiliis liberum, melius concoquit, plus appetit. Omnia vero novo humore impleta fatiscunt, & facile resolvuntur, donec coctio peracta fuerit, in puro corpore facilior.

XXIII.

PERSPIRATIO minor solito prænuntiat somnum inquietum, & noctem molestam.

Confer Aphor., V. & XV. bujus Sectionis.

XXIV.

SI a brevi, & implacido somno carnes frigidæ inveniantur, & inde febricula succedat; id in debilibus mortem; in robustis morbi longitudinem magna ex parte prænuntiat.

A Statu sano ad morbosum delabitur noster

 au-

auctor. Et cum Hippocrate, frigus in acutis, tempore non opportuno apparens, mortem significare; in longis, morbi longitudinem indicare; recte post ipsum pronuntiat. Scilicet infirmato virium tenore, nihil aliud sperandum est.

XXV.

LECTI mutatione, somnus implacidus, & perspiratio minor fit: insolita enim licet meliora corpus, & animum lædunt.

Docet observatio rem esse veram; adeoque inde in perspiratione turbæ excitari debent.

XXVI.

MAGIS somniant in lecto insolito, quam in consueto jacentes.

XXVII.

QUI dormiunt, & non somniant, bene perspirant; & versa vice.

Scilicet debilior est, nec sine turbati animi pathematibus somnus, quem turbant insomnia.

XXVIII.

SOMNUS a cibo quatuor horis circiter est utilior: natura enim tunc minus est occupata prima concoctione, melius remittit, quod est amissum, & melius perspirationi favet.

Quan-

Quantumvis naturæ consona videatur regula; & eo præsertim tempore vigeat coctio in vasis, quæ perspirationem parat; tamen hic ingens consuetudinis habenda ratio. Multi sunt, qui quatuor a cibo horis somnos carpere non possunt: Aliqui pleno ventriculo dormire nequeunt. Sua cuique laudetur praxis; per nos licet.

XXIX.

Si a cœna quinque horis somno illico excitatum perpenderis, vix mediam libram; si octo horis, tres libras perspirasse invenies.

Confer Aphor. VI., & VII. hujus Sectionis: Licet quantitate perspirationis a Sanctorio recedamus, consentimus dogmate, modo non adhuc turgidus somno ponderetur, sed una, aut altera hora post somnum; si præsertim aliquod intercesserit exercitium.

XXX.

Somno solito breviore, semper aliquid perspirationis prohibetur; quod, nisi sequentibus diebus pleniore perspiratione compensetur, imminet febris periculum.

Non in nocturna solum, sed in qualibet perspiratione fit crisis illa, juvante exercitio; partem oneris suscipientibus urinis. Alioqui stagnaret inutile liquidum, & corrumperetur.

XXXIV.

CORPORA oscitatione, & pandiculatione horæ dimidiæ spatio magis perspirant, quam tribus horis alterius temporis.

Hi enim motus, coctione tempore somni peracta, funguntur exercitii vice; & vim expellentem a somno maxime necessariam adaugent. Quod experimentis Gorterianis mire concors est.

XXXV.

QUI ægris dant serapia, vel medicamenta horis optimæ perspirationis, quæ solet esse a somno duarum horarum spatio, lædunt: horis vero sequentibus prosunt.

Sensus est; ad propinanda medicamenta irritantia quævis, expectandum esse tempus, quo natura occupari de perspiratione desierit. Alioquin turbabitur illa, nec poterit opus magni momenti absolvere. Serapia vero sunt medicamenta ex pulpa Orchidos facta, acria, & tenuantia.

XXXVI.

IN paroxysmis pandiculationes, & oscitationes non significant caloris concentrationem, sed excretionem acrium copiosorum perspirabilium retentorum.

Non semper excretionem significant illa, quip-

quippe debilitati etiam familiaria sunt; sed nixum tantum laborantis naturæ, aliquando fœlicem, sæpe, ut in frigore febrili, infœlicem.

XXXVII.

Hora dormitionis meridianæ, cibato corpore, aliquando libram, aliquando selibram excrementorum occulte perspirabilium excernere solet: libram, si aliquid perspirationis hesternæ diei retentum sit; selibram, si nihil.

Somno meridiano assueti eo vix carere salubriter possunt. Hinc iis externa residua tollit ille, coctionem accelerat. Si inassueti somnum insolitum carpant, evigilantibus lingua aret, & mucosa est; caput gravatur; languet concoctio, unde etiam languere debet perspiratio. Confer experimenta Gorteriana.

XXXVIII.

Si aliquid hesternæ perspirationis sit retentum, & per somnum meridianum illud omnino non excernatur, statim a somno persentitur magnum capitis pondus, magnusque dolor gravativus.

XXXIX.

Si quatuor horis a somni initio cibus corrumpatur, statim hæc duo mala se invicem consequentia contingunt: prohibita perspiratio, & vigilia.

Cor-

Corrumpitur cibus, vel ob copiam, vel ob putridam indolem. Hinc coctio prava; hinc vitiata perspiratio. Crudi sudores exeunt; & somnum excipit defatigatio, atque vellicatio vigilias inducens.

XL.

NULLA causa sæpius somnum interturbat, quam ciborum corruptela: id efficit, quæ est inter stomachum, & cerebrum sympathia.

Quæcumque sit, quæ turbatur functio, tollitur sensus æquilibris. Somnus placiditatem amittit; ut vigilia alacritatem.

XLI.

SONNUS hyeme utilior, quam æstate; non quia ventres sunt calidiores, vel somni longissimi; sed quia ante diluculum corpora fiunt actu calidiora, & ut talia maxime perspirant; æstate vero frigidiora.

Gratior hyeme somnus, sub æquabili calore stragulorum, perspirationi melius favente, quia ad coctionem requiritur calor ille; quem tollit, ambiens atmosphera, perfectæ coctioni, & vacuationi nocens importuno frigore.

XLII.

A somno discursus puritas, & corporis agilitas significant corpus illa nocte ad minus tres libras magna ex parte perspirasse.

Vide alibi passim.

XLIII.

A somno meridiano capitis levitas indicat nihil perspirationis hesternæ diei fuisse retentum.

Vide Aphorismum XXXVII.

XLIV.

SOMNUS externas, & internas partes universas humectat; quia attenuat perspirabile, & valde attenuatum per omnia membra illud dispensat.

Per somnum, hiantibus vasis vel minimis, languente tonica vasorum actione; fit ut circuitus, sic coctionis æquabilitas; nec vi intruduntur partes coctæ, sed solius naturæ jussu distribuuntur. Hinc ingens ad perspirabilitatem dispositio potius, quam hujus expulsio. Quæ Gorteriana theoria hic ex Sanctorii observatis recte deducitur.

XLV.

VIGILIA movet a centro ad circumferentiam sanguinem, qui est minus præparatus ad perspirationem, quam in somno correptis.

Vera erit sententia, si de motu in universum aucto res intelligatur. Unde sæpe vi, & impetu in vigilantibus administrantur omnia,

quæ

quæ per somnum lentius, & ad naturæ normam fiunt.

XLVI.

SOMNO concentrantur humores; unitur calor influens innato; aufertur sitis, nisi prædominetur bilis; fit conversio sanguinis in secundas humiditates, & corpora leviora fiunt.

Actio somni ad perficiendam coctionem, hic describitur, ex theoria tunc in scholis recepta. Pendent vero effectus somni a vasorum laxatione, ab actionis imminutione, calore pariter minori. Unde coctio non celerior, sed perfectior vires instaurat.

XLVII.

SOMNO animales; vigilia vitales, & naturales languescunt.

XLVIII.

VIGILIA animales roborantur, vitales, & naturales languescunt.

Animales functiones per somnum feriantur. Vitales, & naturales perseverant; lentius peraguntur, & æquabilius: Sed ideo per vigiliam languescere dici non possunt, nisi accesserit causa accidentalis. Languere potius per somnum dici possent ob tarditatem motuum quorumcumque. Hinc per somnum febris mitescit.

XLIX.

XLIX.

PER somnum magis interiora incalescunt, ipsaque magis leviora fiunt. Per vigiliam magis exteriora incalescunt, ipsaque magis levia fiunt.

Æquabilis semper calor in universo corpore ut detexit Georg. Martini thermometrum. Confirmavimus ipsi pluribus experimentis: cum aliqua tamen exceptione hic non exponenda. Minus vero caloris producunt dormientes, ex Gortero, & rei observatione accurrata. At certe plus actionis inest somni tempore in visceribus, quam in artubus. Quod antiqui calere vocabant.

L.

PER nimium somnum interiora, & exteriora frigescunt; humores impinguntur, redduntur imperspirabiles; & corpora ponderosiora fiunt.

Aphorismo isto ex observatione Hippocratica desumpto, recte intelliguntur laxationis nimis assiduæ, quæ somnum comitatur, effectus. Nam vigilia somni vices non excipiente, nec arriguntur sensiles fibræ, nec tonicam concipiunt actionem. Unde nec attenuatio principiorum, nec addensatio partium inter se fieri potest. Languent ergo omnia; & ad cachexiam sponte devolvuntur.

LI.

LI.

CORPORA biliosa per nimium somnum valde læduntur; non quia excrementa tertiæ coctionis fiunt imperspirabilia, sed quia fiunt mordacissima, feriuntque deinde caput, & alia viscera.

Somno nimio, laxationeque vasorum nimia, spissescit stagnans bilis; & corruptioni acri, ad quam prona est, addit inertiam acidam. Unde fit bilis viridescens, porracea, atra, melancholiæ, & herpetum pessimarum, mater; aut si febrem accendat, morborum vehementissimorum feralis genitrix.

LII.

IN dormientibus stragulis detectis magis impeditur perspiratio, quam in vigilantibus vestibus denudatis; tum ob quietem dormientium; tum quia calor externarum partium refugit ad intra.

Modo tamen aer non sit præfervidus, in quo vestes stragulæ gravant, & nocent. At in aere variabili pessima mala a denudatione dormientium pendent. Corporum enim jam minus calidorum superficies tacta frigore quasi cogitur, & cruda accumulat. Hinc convulsiones, contracturæ artuum, articulorum dolores, colici dolores, paralyses. Noctes frigidæ in calidis regionibus quantum noceant, docuere, Tur-

auctor. Et cum Hippocrate, frigus in acutis, tempore non opportuno apparens, mortem significare; in longis, morbi longitudinem indicare, recte post ipsum pronuntiat. Scilicet infirmato virium tenore, nihil aliud sperandum est.

XXV.

Lecti mutatione, somnus implacidus, & perspiratio minor fit: insolita enim licet meliora corpus, & animum lædunt.

Docet observatio rem esse veram; adeoque inde in perspiratione turbæ excitari debent.

XXVI.

Magis somniant in lecto insolito, quam in consueto jacentes.

XXVII.

Qui dormiunt, & non somniant, bene perspirant; & versa vice.

Scilicet debilior est, nec sine turbati animi pathematibus somnus, quem turbant insomnia.

XXVIII.

Somnus a cibo quatuor horis circiter est utilior: natura enim tunc minus est occupata prima concoctione, melius remittit, quod est amissum, & melius perspirationi favet.

Quan-

Quantumvis naturæ consona videatur regula; & eo præsertim tempore vigeat coctio in vasis, quæ perspirationem parat; tamen hic ingens consuetudinis habenda ratio. Multi sunt, qui quatuor a cibo horis somnos carpere non possunt: Aliqui pleno ventriculo dormire nequeunt. Sua cuique laudetur praxis; per nos licet.

XXIX.

Si a cœna quinque horis somno illico excitatum perpenderis, vix mediam libram; si octo horis, tres libras perspirasse invenies.

Confer Aphor. VI., & VII. hujus Sectionis: Licet quantitate perspirationis a Sanctorio recedamus; consentimus dogmate, modo non adhuc turgidus somno ponderetur, sed una, aut altera hora post somnum; si præsertim aliquod intercesserit exercitium.

XXX.

Somno solito breviore, semper aliquid perspirationis prohibetur; quod, nisi sequentibus diebus pleniore perspiratione compensetur, imminet febris periculum.

Non in nocturna solum, sed in qualibet perspiratione fit crisis illa, juvante exercitio; partem oneris suscipientibus urinis. Alioqui stagnaret inutile liquidum, & corrumperetur.

XXXIV.

Corpora oscitatione, & pandiculatione horæ dimidiæ spatio magis perspirant, quam tribus horis alterius temporis.

Hi enim motus, coctione tempore somni peracta, funguntur exercitii vice; & vim expellentem a somno maxime necessariam adaugent. Quod experimentis Gorterianis mire concors est.

XXXV.

Qui ægris dant serapia, vel medicamenta horis optimæ perspirationis, quæ solet esse a somno duarum horarum spatio, lædunt; horis vero sequentibus prosunt.

Sensus est; ad propinanda medicamenta irritantia quævis, expectandum esse tempus, quo natura occupari de perspiratione desierit. Alioquin turbabitur illa, nec poterit opus magni momenti absolvere. Serapia vero sunt medicamenta ex pulpa Orchidos facta, acria, & tenuantia.

XXXVI.

In paroxysmis pandiculationes, & oscitationes non significant caloris concentrationem, sed excretionem acrium copiosorum perspirabilium retentorum.

Non semper excretionem significant illa, quip-

quippe debilitati etiam familiaria sunt; sed nixum tantum laborantis naturæ, aliquando fœlicem, sæpe, ut in frigore febrili, infœlicem.

XXXVII.

HORA dormitionis meridianæ, cibato corpore, aliquando libram, aliquando selibram excrementorum occulte perspirabilium excernere solet: libram, si aliquid perspirationis hesternæ diei retentum sit; selibram, si nihil.

Somno meridiano assueti eo vix carere salubriter possunt. Hinc iis externa residua tollit ille, coctionem accelerat. Si inassueti somnum insolitum carpant, evigilantibus lingua aret, & mucosa est; caput gravatur; languet concoctio, unde etiam languere debet perspiratio. Confer experimenta Gorteriana.

XXXVIII.

SI aliquid hesternæ perspirationis sit retentum, & per somnum meridianum illud omnino non excernatur, statim a somno persentitur magnum capitis pondus, magnusque dolor gravativus.

XXXIX.

SI quatuor horis a somni initio cibus corrumpatur, statim hæc duo mala se invicem consequentia contingunt: prohibita perspiratio, & vigilia.

Cor-

Corrumpitur cibus, vel ob copiam, vel ob putridam indolem. Hinc coctio prava; hinc vitiata perspiratio. Crudi sudores exeunt; & somnum excipit defatigatio, atque vellicatio vigilias inducens.

XL.

NULLA causa sæpius somnum interturbat, quam ciborum corruptela: id efficit, quæ est inter stomachum, & cerebrum sympathia.

Quæcumque sit, quæ turbatur functio, tollitur sensus æquilibris. Somnus placiditatem amittit; ut vigilia alacritatem.

XLI.

SONNUS hyeme utilior, quam æstate; non quia ventres sunt calidiores, vel somni longissimi; sed quia ante diluculum corpora fiunt actu calidiora, & ut talia maxime perspirant; æstate vero frigidiora.

Gratior hyeme somnus, sub æquabili calore stragulorum, perspirationi melius favente, quia ad coctionem requiritur calor ille; quem tollit, ambiens atmosphera, perfectæ coctioni, & vacuationi nocens importuno frigore.

XLII.

A somno discursus puritas, & corporis agilitas significant corpus illa nocte ad minus tres libras magna ex parte perspirasse.

Vide alibi passim.

XLIII.

A somno meridiano capitis levitas indicat nihil perspirationis hesternæ diei fuisse retentum.

Vide Aphorismum XXXVII.

XLIV.

Somnus externas, & internas partes universas humectat; quia attenuat perspirabile, & valde attenuatum per omnia membra illud dispensat.

Per somnum, biantibus vasis vel minimis, languente tonica vasorum actione; fit ut circuitus, sic coctionis æquabilitas; nec vi intruduntur partes coctæ, sed solius naturæ jussu distribuuntur. Hinc ingens ad perspirabilitatem dispositio potius, quam hujus expulsio. Quæ Gorteriana theoria hic ex Sanctorii observatis recte deducitur.

XLV.

Vigilia movet a centro ad circumferentiam sanguinem, qui est minus præparatus ad perspirationem, quam in somno correptis.

Vera erit sententia, si de motu in universum aucto res intelligatur. Unde sæpe vi, & impetu in vigilantibus administrantur omnia,

quæ

quæ per somnum lentius, & ad naturæ normam fiunt.

XLVI.

Somno concentrantur humores; unitur calor influens innato; aufertur sitis, nisi prædominetur bilis; fit conversio sanguinis in secundas humiditates, & corpora leviora fiunt.

Actio somni ad perficiendam coctionem, hic describitur, ex theoria tunc in scholis recepta. Pendent vero effectus somni a vasorum laxatione, ab actionis imminutione, calore pariter minori. Unde coctio non celerior, sed perfectior vires instaurat.

XLVII.

Somno animales; vigilia vitales, & naturales languescunt.

XLVIII.

Vigilia animales roborantur, vitales, & naturales languescunt.

Animales functiones per somnum feriantur. Vitales, & naturales perseverant; lentius peraguntur, & æquabilius; Sed ideo per vigiliam languescere dici non possunt, nisi accesserit causa accidentalis. Languere potius per somnum dici possent ob tarditatem motuum quorumcumque. Hinc per somnum febris mitescit.

XLIX.

LI.

CORPORA biliosa per nimium somnum valde læduntur; non quia excrementa tertiæ coctionis fiunt imperspirabilia, sed quia fiunt mordacissima, feriuntque deinde caput, & alia viscera.

Somno nimio, laxationeque vasorum nimia, spissescit stagnans bilis; & corruptioni acri, ad quam prona est, addit inertiam acidam. Unde fit bilis viridescens, porracea, atra, melancholiæ, & herpetum pessimarum, mater; aut si febrem accendat, morborum vehementissimorum feralis genitrix.

LII.

IN dormientibus stragulis detectis magis impeditur perspiratio, quam in vigilantibus vestibus denudatis; tum ob quietem dormientium; tum quia calor externarum partium refugit ad intra.

Modo tamen aer non sit præfervidus, in quo vestes stragulæ gravant, & nocent. At in aere variabili pessima mala a denudatione dormientium pendent. Corporum enim jam minus calidorum superficies tacta frigore quasi cogitur, & cruda accumulat. Hinc convulsiones, contracturæ artuum, articulorum dolores, colici dolores, paralyses. Noctes frigidæ in calidis regionibus quantum noceant, docuere,

Tur-

Turnefortius, *de Armenia*, *Piso*, *de Brasilia*, *Pontius*, *de Indiis Orientalibus*.

LIII.

Insolita vigilia reddit corpora primis diebus ponderosiora, & debiliora: ponderosiora, quia post evacuationem excrementorum perspirabilium relinquitur crudus succus per se, & per accidens ponderosus; debiliora quia ubi est cruditas, ibi non fit conversio, & per consequens virtutes languescunt.

Necessariæ sunt tum somni, tum vigiliæ vices: Somno deficiente fibræ fatigantur, vires fatiscunt, imo & ipsa coctio deficit. Sed præsertim acres fiunt humores ob circuitus vim nunquam somno frænatam. Collabuntur omnia summa cum acrimonia.

LIV.

Si somnus post vigiliam immoderatam fuerit septem horarum, perspiratio erit major consueta ad libram circiter.

Aphorismus verissimus; licet enim tanta perspirationis copia nunquam effluat, tamen viribus reparatis, & humoribus per actionem immodicam tenuatis erit maxima.

LV.

Vigiliæ perseverantes reddunt corpora minus ponderosa, non ab majorem perspiratio-

nem,

nem, vel evacuationem sensibilem; sed quia quantum amittitur pinguedinis, & carnis, tantum non remittitur.

Minus ponderosa erunt ad stateram corpora vigilantium nimis, licet ad sensum graviora, quia non instaurantur vires. Si vigiliæ assueverit se ipsum homo, corpus erit, & ad sensum, & ad stateram levius, modo tamen ab hac assuetudine viribus non detrahatur. Sed etiam in illo, qui vigiliis assueverit, si causa accesserit debilitans, fatiscunt vires facillime; quia destituuntur fibræ flexilitate illa, quam somnus ipsis conciliat.

LVI.

Horis matutinis corpus est, & sentitur minus grave: est, quia per somnum præcedentem tres libræ excrementorum perspirabilium exhalarunt: sentitur, tum quia est levius; tum quia per coctionem ciborum facile perspirabilium auctæ sunt vires.

Commentario non eget ex prædictis sententia hæc.

LVII.

Corpus vigilia insolita reddi potest majoris ponderis, si cibus, quo alitur, sit perspirationi ineptus.

Si nempe copia cibi sese quis ingurgitaverit, vel durius alimentum vinci se renuat.

Vi-

Vigilia ad attenuandum efficax, illud non subiget. Remanebit pondus insuperabile.

LVIII.

Tam copiosa est corporis exhalatio in dormientibus, ut non solum ægri cum sanis cubantes, sed sani inter se bonas, vel malas dispositiones sibi ipsis invicem communicent.

Res observatione comprobata, ab hiatu majori vasorum per somnum pendet, & aequabili caloris ambitu, simulque utriusque athmosphæræ proxima communicatione.

LIX.

A cibo somnus, a somno coctio, a coctione utilis perspiratio.

An statim a cibo somnus? Res ab assuetudine computanda. Quatuor horas post cibum alibi requisivit Sanctorius: sed nimia certe distantia, cum jam in plerisque summopere incboata fuerit concoctio. Generatim tamen statim a cibo somnus, laxatis vasis crudum chylum sufficit, quo caput impletur, coryza exoritur, & cruditas nimia in vasa fertur, quæ majoribus egent viribus, ut subigant materiem magis resistentem.

LX.

Diacydonium non statim a cœna, sed post

post primum somnum excitat somnum, dummodo non superbibatur.

Diacydonium, ut omnia stomachica pleno ventriculo cæteris miscentur alimentis, adeoque minus actionis exerunt.

LXI.

DIACYDONIUM cum cinnamomo roborat stomachum; roborato semper somnus fit.

Quod roborato stomacho semper somnus fiat, nec ratio, nec observatio evincunt.

LXII.

MODICUM vini generosi, & allium conciliant somnum, & perspirationem: si vero plus justo sumatur, utrumque prohibent. Perspirabile tamen in sudorem convertunt.

Acre quodcumque modice sumptum actionem ventriculi titillando excitat, si sumatur immodice, irritat, & erethismum concitat coctioni adversum. Sudores tamen, tum concitando sanguinis motum, tum principia tenuando, ut plurimum prolicit.

LXIII.

ILLE vere longævus, qui quotidie bene concoquit, & digerit. Coctio fit somno, & quiete; digestio, vigilia, & exercitio.

Id est, corpus, quæ naturæ congrua sunt sibi

bi applicat concoctione; excrementa vero digesta expellit. Quanquam sæpe alterutrum vocabulum pro alterutro usurpetur.

LXIV.

Lassitudo a somno, si solitó exercitio tollitur, defectus erit in digestione, non in concoctione.

Sensus est; hærebant in ultimo vasorum ordine, mæandrisque capillaribus excrementa ad excretionem imparia; per circuitum vacuantur illa: tollitur lassitudo vitii seminium; quod non adeo facile fuisset evincere, si orta fuisset a cruditate lassitudo illa. Id sequenti exponit Aphorismo.

LXV.

Dum a somno surgimus, cum solito pondere, sed cum majori lassitudine, hæc, nisi solito exercitio tollatur, cruditatum cumulum, cibi corruptelam, vel nimium coitum significat.

LXVI.

Somnus meridianus insolitus viscera omnia lædit, hebetatque perspirationem.

LXVII.

Lassitudo post somnum tollitur iis, quæ facilem perspirationem reddunt: hæc sunt, jejunium, exercitium, vigilia, & ira.

Jeju-

Jejunio copia tollitur; aliis motus intenditur sanguinis. Inter quae iram numerare piaculum sit; quae motum quidem incitat, sed abnormem, & spasmo cordis semper junctum.

LXVIII.

SOMNUS strato, & laxo corpore nocet; contracto juvat. Viscera unita coctionem habent facilem; laxa difficilem.

Positio corporis quaevis, ubi familiaris est, & assueta vix nocet. Hanc etiam inviti affectamus. Dormientibus praecepta scribere inutile est.

LXIX.

SANIS, si a somno sudor frigidiusculus accidat, minus justo perspirant; & temporis cursu si idem accidat, fiunt podagrici.

Sudare a somno, coctionis minus perfectae signum est; frigere, debilitatis. Porro iis, qui debiles sunt, nec sobrii, superflua cruda exundare necesse est. Hoc est ex podagrae elementis unum.

LXX.

A nimio somno, & nimio meri potu suf-

focantur vires; a nimia vigilia, & exercitio resolvuntur. Hæc omnia coctionem diminuunt; & diminuta cessat utilis perspiratio.

Hinc certum illud Hygieines axioma, ne quid nimis, Ne hinc, obruantur superfluis vires; illinc, elanguescant orbæ necessariis, Quo in duplici, & opposito casu, coctio, ut & reliquæ functiones ex ordine non possunt fieri.





SECTIO QUINTA.

De Exercitio ad Perspirationem Comparato.



INTRODUCTIO.

Exercitium, imo & labores ad sanitatem corporum animalium, ita comparatos esse, ut quasi a natura imperari potius, quam suaderi videantur, nemo non sentit. Licet enim intus instructum sit viribus ex ipso suo penu nascentibus corpus animale, quibus & alimenta concoqui, & superflua possint expelli; mirum tamen est, quantum ab externi motus stimulis, vires illæ intendantur, augescant, extollantur. Imo si liceret hunc sibi hominem mere mechanicum fingere, qui vita animali contentus, vix alicui externo motui sese daret, & stipitis instar iners tor-

peret, dubitandi locus relinqueretur, an non etiam in summa sobrietate, brevi obrutus corporea sarcina concideret ille somnolentus, & impar vel ad levissimam functionem obeundam. Mens ipsa hebesceret, corporisque piacula, pravi instigatrix consilii, propria rependeret lue, & ingentes ausus imbecillo corpore non valeret concipere, aut capescere. Hinc jure exercitium inter necessaria reponitur, & numeratur, & quoniam per exercitia, motusque vel saluberrimos, semper aliquid de corpore deteritur, quod denuo apponendum est; proportionalem fieri additionem detractioni necesse est. Vigebit ergo in æternum regula Hippocratica, qua cibos laboribus proportione mutua sibi respondere necesse est. Verum in illo vitæ instituto, quod sibi varii homines eligunt, vel quod sors illis objicit, tanta reperitur diversitas; tanta est limitum, intes quos vivit humanum genus, de quo solo sollicitos esse nos decet, distantia, ut victus rationi, quæ inter exercitatos, & otio deditos inesse debet, assignare limites artis sit difficilis opus, & periculosæ.

Alii enim duro membra labore conficiunt. Nec moram, nec requiem finit, aut inexsuperabilis necessitas, aut cupiditas inexhausta. Alii contra fæmineum in morem, indormiunt otio turpi, & vix ad maxima rerum momenta commoventur. Hos videas languidulos,

los, anhelantes ad minimum motum, sagina turgidos, & diffluentes aqua; illos contra aridos, siccos, alacres, famem, sitim tolerantes, & facile omnia prætervidentes incommodorum genera. Nec diversitas ciborum minor. Qui enim exercentur, hi molem alimentorum vix reformidant; eam nutritioni aptam viribus adscititiis efficiunt; & expulsioni superflui gnaviter invigilant; unde tenuissima excrementa ingenerant, crassa vero pauciora. Sed ut his sufficiat moles cibaria, debet illa ex mere nutritiis particulis conflari. Si enim offeratur volumen ingens partium nutritioni minus aptarum, inflatur quidem venter, sed non resarciuntur vires, gravantur illæ contra, & pondus excrementorum naturam premit. Si contra e levioris materia selecti fuerint cibi, tum reparandis viribus inepta, & cito difflabilis aderit materies.

Qui contra otiosi sunt, vix cibos appetunt. Ipsis vel minimum, vel levissimum edulium vertitur in pondus, & crassiorum fæcum nomine per alvum pars maxima desedit. Iis nec somni faciles, nec alacris reparatio, nec concoctio placida, nec succorum distributio æquabilis, nec perspiratio libera. Sed a dubia surgentibus cæna anhelitus, gravamen capitis, artuum defatigatio, frigus incertum æstui remixtum; tum etiam urinarum turbida excretio, sudorque in cute fri-

gidiuſcula ad tactum viſcoſus, infirmitatis interpres, præterea pallentibus oculis, languidulisque genis, tumor quidam imbellis inerti vita, undequaque apparet.

Patet igitur ſanitatem hinc, inde vero malorum omnium ſemina contineri. Verum, notante Hippocrate, ſuum eſt etiam nimio exercitio periculum. Qui vero nimiopere exercentur, hos vel laboris amor indefeſſus motu conficit, vel a placido, tranquilliorique vitæ genere ad exercitia inſolita neceſſitas adegit.

Prioribus firmiora latera, vires vix exhauriendæ laboribus, validiſſimis pares oneribus ferendis; hæc adſunt commoda. Verum quaſi in ſumma vitæ intenſitate gliſcit rigiditas ante diem, & fibris durioribus ſenectus anticipata vitæ ſummam imminuit. Hinc ruſticos ante ætatem incurvos rugas oſtentare videbis, dum ſervata probe urbanorum, & divitum corpora longe diutius juvenilem præferunt faciem. Hanc quidem hi frequentibus rependunt incommodis, præſertim laborum intolerantia: & mille ſequuntur malorum nerveorum larvæ. Contundit articulos juſtiſſima podagra. Mucoſi inſiliunt morbi. Cachexia demit actionem, & pulmones fatigat anhelitu. Mors ipſa demum florentes ætate invadens, ſenilia ſupprimit accidentia. Adde, quod dies nulla malis eximatur. Cauſa enim

levis

levis graves infert affectus. Contra exercitio dediti ſtant ad omnia immoti. Spectant oculo irretorto pericula, quæ vix ipſos attingunt. Hinc nunquam cauſa levis ipſis morbos infert, ſed grave eſt quodcumque tantam vim obtinet, ut febrile ipſis accerſat incendium. Unde Hippocrates dixiſſe jure videtur, ipſos quidem ſanos vivere, ſed difficulter a morbis emergere, quos ipſis aliunde raros pronuntiat.

At quos e placidiore vitæ ſtatu deturbatos inſolitum vexat exercitium, hos multa pati aliis ignota neceſſe eſt. Ipſum iis exercitium pro febre eſt. Quod, ſi humoribus perſpirabilibus ad exitum paratis fiat, quamdam depurationem illico producit. Hinc adeo ſalubre aliquando apparuit inſolitum litteratis exercitium, quod languidis famem excitavit, & alacritatem, atque robur inſtaurare viſum eſt, ſine ulla, quæ ſenſus feriat, vacuatione. Multis, ſed debilioribus illis, inopinum exercitium aliquando urinas exſcivit copioſas, albas, turbidas. Scilicet illis non ea vis inerat, ut poſſent ad tenuitatem ſummam ſuperflua evehere. Imo & aliquando hærentem bilem, & ſcybala morantia commovit, dum ſecretiones omnes augentur. At eos, quibus effectus ille competit, ſumma urgebat debilitas, ut pote quæ nec urinæ eliciendæ, nec perſpirationi pellendæ aptos homunciones demonſtrat, vix ab ali-

 men-

mentis aliquid in suos usus vertere valentes, dum massa ciborum iners intra intestina residem materiem spontaneæ corruptioni objicit. Verum multo familiare magis est, statim ab exercitio, pro mediocritate nostra immoderato, febre corripi, quæ, si quies succedat, ephemera brevi desævit, & novam ab exercitio conciliatam liquoribus acredinem depurat; sicque res in pristinum statum restituit. Quid enim! Nova, & insolita violentia cor agitatum, novaque rapiditate cruor impulsus, stagnantibus motum, morantibus rapiditatem indidit, unde principiorum evolutio nova, novos sensus produxit; novaque depurationis copia, & forma nasci debuere.

Verum si jam motu illo ingenti concitata natura novos concipiat stimulos; jam omnes prædicti circuitus effectus, motus, compressio, frictus, principiorum attenuatio, summopere augebuntur, aderuntque febris inflammatoriæ præludia. Febris hæc sæpe in iis, qui sagina diffluunt, attenuatis crassioribus adipis principiis stagnantia illa principia e vegetantium oleis concreta, & in cellulas adiposas deposita, per sanguineum rapit alveum, ibique & rubras partes, & biliosо-oleosas ingenerat. Hinc ipso in medio febris sævientis incendio, urinis prærubris, & flammeis, attolluntur hypocondria, turpique flavedine dehonestatur vultus, ingenti ægri discrimine. Nec nisi post varios rerum casus, per copiosum alvinæ bilis fluxum termina-

minatur salubriter febris a præpostero, & insolito concitata exercitio, nisi, miserrima sorte; tristis metastasis sarcinam hanc humorum in partem nobiliorem deposuerit.

Satis inde intelligitur, qua ratione saluberrima alioqui exercitatio possit summum intentare periculum. Cui quidem discrimini novam conferet symbolum præpostera; & vetito per artis leges ordine instituta. Si enim crudo turgentibus succo vasis, ubi postularet quietem facienda coctio, nimio motu particulas lymphæ diluentis utiles absumimus, cruda, & iners remanebit accita ab exteris moles, quæ vi in ultimos vasorum fines intrusa, novas obstructiones producet, novamque liquorum formam; unde ab exercitio illo tam sæpe capitis dolores, tam sæpe oris amarities, aut lentæ mucaginis ad dentes, & labia sensus. Nec ab alio fonte, crassa illa, vix coagmentata, catharrosa sputa emergunt, ab intrusa intra Bronchiales glandulas crudiore chylacea materia. Quid si ipse plenus sit ventriculus, liquidiore orbatus succo ad cutem rapto, vix ipse alimenta immutat, & minimum malorum est vomitus, ut toties experiuntur cursores, aut illi, qui velocibus equis per longa itinera rapiuntur.

Quam ergo turpiter falluntur, qui vel post cibum sese exercitiis conficiunt, nec minus tamen, qui a statim cursu, & vehe-

menti exercitatione sese epulis ingurgitant. Exhaustum enim liquidioribus quibuscumque particulis, imo forsan & spiritibus corpus molem in ventriculo inertem sinit spontaneam in mutationem assurgere, inflari, acescere, corrumpi, & ut in canibus venaticis quotidiana observatio demonstrat, spumosa, nec liquidis animalibus perfusa evomi. Quod si infæliciter non accidat, aderunt omnia spontaneæ corruptelæ sequacia mala, imo & ab immodica ventriculi jam non agentis, sed patientis inflatione oriri possunt veternosi morbi, & apoplexia. Attendant ad illa, qui novitios milites, & urbana diffluentes desidia, nimis severe laboribus bellicis objiciunt; nec curam sufficientem corporibus adhibent. Nulla tali immoderatione sævior lues castris ingruit, unde multo plures e dysentericis putridis, aut cachecticis morbis intereunt milites novitii, quam quot truculentissimum prælium possit ense hostili ex iis absumere.

Hinc ergo primum ab exercitio tempus erit quieti concedendum. Postea vero sobrietatis leges servandæ erunt, donec vires instauratæ, pleniores suadeant epulas, & illas ventriculus fortirer concupitas valeat fortiter arripere, & concoquere. Nec illud tamen ullatenus regulæ Hippocraticæ repugnat, qua exercitiis cibos respons are jubet; ita enim intelligenda est divina hæc victus regula, ut integris viribus aptetur illa. Nam virium, pri-

prima & unica eſt ad alimentorum uſum indicatio, ad quam cæteræ referuntur omnes. Quæ quoniam per ſapienter inſtituta exercitia adaugentur, adaugeri etiam alimenta patiuntur, ſed corpore jam quieto, poſtquam deferbuit enormis ab exercitio concitatus liquorum impetus, & ante ſomnum, ſi fieri poſſit, adjuvandæ coctioni natum præcepto Homerico, qui quidem vates, in gymnaſticis regulis, non ſpernendum tibi ſe præbet authorem. Non ergo, quod quidam ſibi falſo fingunt, ſi immodice augeatur corporis motus, immodice etiam augendi erunt cibi, ſed ſemper omnia ad virium examen referenda.

Quæcumque vero hic de exercitio ad concoctionem comparato animadvertimus, ea etiam omnia ad perſpirationem ſponte relabuntur, quæ coctionis fætus eſt, & proventum proportionale. Licet enim immoderato exercitio exhalatio prodigioſe increſcat, ea tamen exhalatio corpus exſiccans pro perſpiratione non habenda eſt. Illud enim exercitium partes non ſolum omnes ſuperfluas vacuat, ſed & tenuiſſima, & utiliſſima quæque impetu vehementi ſecum abripit, & quaſi everrit. Unde ab hac exercitatione vehementiſſima corpus exſiccatur, liquatur adeps, roborantur quidem partes, ſed liquores omnes acredinem ſæpe ſummam concipiunt. Unde licet in hiſtoria medica non rara proſtent hydro-

hydropicorum exempla, quos cursus vehemens, Pancratium, lucta, violentaque exercitia ab aquis liberaverint, non inexpertum est a nimio motu plures eorum e medio sublatos fuisse; tum quod ab hujus impetu, repulsæ intra vasa aquæ suffocaverint miseros; tum quod stagnantes, erodentem conceperint acredinem, quam pessima secuta sit gangræna. Nec minor fuit cautela veterum in applicando ad melancholicos exercitio, ne scilicet nimio, & immoderato motu tenax, & picea atrabilis moveretur. Hinc accerrimus, & sæpe fæditissimus exercitatorum sudor. Hinc post vehementes cursus peremptorum animalium cadavera citissime fætent, ut norunt venatores. Hinc subito retropulsus in violento exercitio sudor adeo cito lethales morbos producit. Sed sudor iste cum nostra perspiratione nulla ratione confundendus; ille enim si moderate posset cohiberi, omni modo coerceri deberet. Unde addicti gymnastice veteres, ipsi quasi injiciebant vincula, dum aromate, pulvere, & oleo sese mox exercitandi, susdeque ungebant, & occludebant vasorum orificia; suo docti periculo.

Ut ergo exercitium perspirationi nostræ promovendæ fiat utile, tempus illud ipsi assignandum est, quo per se exire prompta est. Coctione enim absoluta in otio moraretur illa, & infarctus periculum immineret. Hinc sex, vel septem a cibo horis,

ris, post somnum si fieri possit, matutino tempore, ad antiquorum morem, quo tempore minus diffluit sudor aeris tepore cohibitus, qui salubriter degere volet, sese exerceat, studeatque ut labor ille hesternis respondet epulis. Verum diligens illa, & accurata præceptorum Hygieines observatio ad illos solos pertinet, qui, sibi nati, rebus in aliorum commodum agendis non invigilant. At horumce hominum genus adeo diligenter inutile, spernere licet. Cæteris saltem edicatur, non statim a copiosiore cibo, non per æstivos meridiei furores sese cursibus conficere, & saltem illud mente tenere pessimo consilio amissum robur per ingluviem raparabile sibi fingi, quæ contra vires immedicabili debilitate prosternat.

His ita positis, ut præcepta illa ad varia vitæ genera possint applicari, & ad diversas vitæ formas apponi, liceat duo exercitiorum genera, seu potius gradus duos numerare. Primum erit vehementissimi exercitii, alterum erit mediocris illius, & ad salubritatem instituti.

Vehementissimum raro plures per dies posset perennari sine summo vitæ dispendio, tuncque nec perspirationis, nec coctionis vices servare foret possibile, sed in eo quasi febrili statu omnia susdeque agerentur. Hoc in tumultu, ventriculo, & organis, quæ concoctioni dicantur, & fluido alluente exhau-

haustis, & ad coctionem imparibus, diæta fere acutorum competit. Alioquin ingurgitata moles aut putrescit spontanea corruptione, dum vitalibus non perluitur succis, aut immota dum perstabit, accisis viribus, facesset in cachexiam. Si exercitium illud breve est, & tempore perspirationi opportuno instituatur, ut solemne erat antiquis gymnastices cultoribus, inassueto quidem, primis exercitii illius diebus, ubi ab actione cessabit, tempora, collum pulsabunt, corpus rubescet, pulsabit ilia anhelitus, sudor, & quidem spumosus, undequaque fluet. Lingua arida ab ore hianti exeretur. Nil nisi quietem, & somnum in lecto sibi postulabit corpus. At post somnum fatigati, & conquassati musculi dolores experientur aliquando vehementes quidem, sed quos rependat uberrime totius corporis alacritas; quippe superfluis omnibus vacuatis, & restituta canalium meabilitate liberrimum illud reperietur, & alimentis simul aptum erit coquendis, & perspirandis excrementis. Postea vero, imo & paucorum intervallo dierum, sibi motus illos, ut enormes primum apparuerint, corpus in habitum vindicat. Nec ab iis ullatenus commovetur, imo & facultatem inde adipiscitur illos adaugendi, prout ipsi fuerit lubitum. Aspice duro fractos membra labore milites, ut ad fragorem bellicorum tormentorum non commoveanveap-

veantur, imo somnum toto proflent pectore, ut dura injusto sub fasce carpant itinera alacres, & leves. Hos nondum assuetos laboribus ipsa tantorum malorum idea exanimaret. Nec horret iratum mare nauta, quem sæpe integrum, & sanum reliquere naufragia. In eo tota stabat antiqua gymnastices ars, famosa illa quidem, imo aliquando infamis, quod de se nimium sollicitos cives supponat; sed si sumendis pro patria communi curis postponatur illa, utilis erat summe & roborans corpora, de qua vide, præter authores medicos, Lucianum in dialogo, qui dicitur *Anacharsis*.

Suadet ergo sanior physice, ut qui vehementissimos motus ad sanitatis tutelam conficere amant, aut quibus ad innatam roborandam infirmitatem suadentur, illi sese regulis supra propositis severe addicant, id est, vehementes motus non capessant, nisi sub finem coctionis, post somnos faciles si fieri possit, & sudoribus cohibitis. Quodcumque enim vehemens est, & violentum, cum maximam vim corpori inferat, nisi omnia recte ad illud suscipiendum disposita sint, nocere ut plurimum potest, quod nulla ratione in moderatis motibus metuendum est, in quibus longe tutius peccare possumus.

Moderata enim exercitia, ut sunt hodierna illa, quibus plerique homines indulgent, vel maxime otiosi, deambulationes per prata

ta amœna, equitationes leves, itinera in curribus mollioribus peragenda, hæc omnia, quæ ad levis defatigationis initium instituuntur, non adeo severam ab Hygieine moderationem postulant. Quid enim aliud præter aucti leviter motus efficaciam præstant? Aeris etiam perpetuo redivivi mutatio aliud commodi apportat, quod exerceantur pulmones, majori scilicet expansione; cui proportionalis semper fit constrictio; adeoque actio major. Succutit præcipue, sine ullo virium dispendio, intestina, & partes in abdomine contentas, nec non & thoracem equitatio illa mediocris: sed hæc omnia motuum genera vires vitæ adaugent, sine ulla vi illata aut solidorum tono, aut fluidorum motui, unde secretiones aut non adaugentur, aut secundum naturæ ordinem tantummodo intenduntur. Hinc & coctioni vacat illæsum corpus, & contra melioris notæ robur ipsi impertitur, auctum tantummodo, & nullatenus per violentiam revulsum. Hinc per hujusmodi exercitationem perspiratio extra modum, & tempus non increscit. Fit tantum celerius, atque perfectius functionum omne genus, accersiturque placidior somnus, & perfectior perspiratio. Unde videre est quantum inter se distent exercitium ab exercitio, & quam diverse agant mechanicis viribus. Hinc etiam antiqui exercitationem a laboribus distinxerant,

rant, nec uno comprehendebant genere res a se invicem prorsus abludentes.

Præceptores vero nostri illi vetustiores sedulitatem hanc non solum ad exercitii gradus tulerant, sed etiam ad varia exercitiorum genera; ut enim non loquar de variis illis motibus regularibus, quibus nunc lumbos, nunc brachia, nunc ilia, vel thoracem firmare satagebant; quatenus nunc hos, nunc illos exercitio quærebant indurare; quod fieri posse vel maxime quotidiana demonstrat experientia, si brachium exercitatum dextrum ad lævum otiosum contuleris; ut prætercam famosum illud Penthatlum, quod vel austeriores coluere Philosophi; nullum est exercitii genus, quod proprias vires habere non contenderint, ita alte recitare, declamare, jactare brachia ipsis non fuit indifferens. Imo late patuit exercitium ὀρχηστικὸν, sive artificiosa ad modulos musicos saltatio, quæ ex quiete certa & definito motu constans, multo minus fatigat, quam alia quævis exercitatio, quæ primo intuitu delassandis viribus minus accomodata videretur. Sed hæc omnia licet effectus inter se varios obtineant, nihil ad perspirationis negotium novi indicant. Scilicet in eo uno constant omnia. Adest in corpore animali, ut & in universa natura pars movens, adest pars resistens. Deterit movens e resistente, ut & resistens accipit motum a

movente, quem ab ea demit. Proportionem inter utramque servare artis est. Quæ si non ad amussim, & imperturbata existat, nocumentum adest. Si vero secundum ordinem naturæ exstent vires illæ adversæ, & sibi mutuas ferant suppetias, fit legitima partium evolutio applicatio, generatio, extrusio, quæ omnia, ut in nullo tum exercitiorum, tum applicationum genere uberius, quam in balneis fiant; liceat pauca hic de balneis ad perspirationis officium] subnectere.

Balnea vel cum motu corporis fiunt, vel corpore sedente, & immobili. Horum simpliciorum impressio in corpus tota a pondere repetenda est aquæ, quæ octingenties aere gravior, totum corpus ad exteriora magis premit, & sanguinem versus interiora pellit, comprimit, & continet, quatenus resistentia major ad supurficiem corporis occurrit. Huic primario effectui accedit absorptio, quæ ideo ad arithmeticos numeros revocari nequit, quod cito aqua intus accepta avolat. Augetur enim perspiratio statim a balneo exeuntibus. His adde alios, qui a variis accidentibus pendent, effectus, ut rarescentiæ, quam calor nimius inducit, & sanguinem undequaque turgere cogit, vel contra frigoris, quod, dum sanguinem densat, & vasa stringit erethismo, effectus balneorum simplicium summopere a se invicem distinguit, atque discriminat.

Ve-

Verum ad perſpirationis doctrinam properantibus duo tantum in balneis ſimplicibus nobis ſpectanda ſunt tempora, effectibus inter ſe diverſa multum, imo & quaſi oppoſita. Primum illud eſt, in quo ſtat homo immerſus, & aqua perfuſus undequaque, alterum vero illud eſt, quo & ab aqua emergit, & ſeſe aeri reſtituit. In primo ex illis temporibus debiliores normam nobis pro robuſtioribus præſtabunt. His ſæpe, pondere aquæ in thoracem, & alvum decumbentis, facies livida, & caput oppreſſum, thoracis ingens ſuffocatio, exitus hæmorroidum, ſatis indicant ſanguinis ad interiora regreſſum, aliquando, præſertim in fervidioribus balneis, non vacantem periculo; cum multi inde aut lethales apoplexias ſubierint, aut hæmorragias fæliciores; nata ab hac obſervatione, praxi medica, qua, partibus variis dum applicantur balnea, ad has ab illis partibus revellitur ſanguis. Præterea veriſimile eſt, nam nullus hic experimentis locus, quod dum mergimur in aqua plus abſorbetur aquæ, quam perſpirabilis exit, ut ipſe cutis tumor ſatis indicat, ſi præſertim balnea frigidiora non fuerint, nec ſtrinxerint fibras, ac denſaverint humores. Verum ubi perfuſus aquæ latice exit e balneo homo, tunc quaſi in atmoſphæram reduci tollatur reſiſtentia, ruit ad cutim humidior ſanguis; rubeſcit illa, donec vaſis tunc liberrimis ingenti impetu


accepta exhalet materies: unde nullis non patet experimentis, omnes balneorum qualiumcumque species exhalationem mirum in modum adaugere. Unde a balneis præsertim calidioribus debilitas nascitur ingens, sæpe ad animi deliquium usque protensa, præcipue in debilioribus. Illa quidem debilitas in frigidioribus balneis rara, quod illa robur fibris addiderint, & sanguinis molem rarefactam non adeo auxerint. Verum si ab illis in locum calidiorem corpora reponantur, fluit ingenti impetu perspiratio, cum calore ad cutem notabili, quantumcumque minor sit virium deperditio. Imo ipsa fibrarum tensione robur additum sæpe remanet, viribusque instaurandis magnum præbet instrumentum. Unde ars fuit apud antiquos Jatraliptas nobilis, qua per varios, & frigoris, & caloris gradus, balnea ad everrenda superflua, ad instaurandam nutritionem, instituere docuerant, dum arctissimo temporis spatio, frigus, calorem, sudores febrium intermittentium æmularentur. Hinc ea in aquæ alveo decurrente prementeque magis, ob decursum, salubriora, quam illa in quibus, dum cutim modica superficie tangunt, aqua non renovatur, & minorem exercet comprimendi vim.

Est alia prorsus actio eorum, quæ cum motu, id est, natatione exercentur. Ingens enim est musculorum actio, ad vincendos medii adeo resistentis, & superandi renixus.

Sci-

Scilicet quanto major debet esse actio musculorum, atque in aere? unde & actio summa in vasa, & sanguinem, & celer defatigatio. Interea apprimitur magis aqua vasis hiulcis, unde minor acrium partium evolutio, & aquæ miscela major; unde etiam spissitudinis inflammatoriæ, quæ adeo facile nimia excipit exercitia, periculum minus. Verum statim a balneo majus fit exhalantis liquidi dispendium, quod liquidum, ut exercitio vehementi intus pressum, & tenuatum, majorem animalium partium copiam debet continere. Proinde in hoc balneorum genere, quod robustis solis competit, omnes exercitiorum effectus concurrunt, sine desiccationis periculis. Nec minus inde intelligitur, quare sudanti, imo abundantius perspiranti, balneum gelidius ingresso, sæpe lethales morbi statim erumpant, ut Alexandro, & Frederico Barbarossæ accidisse ferunt. Quare insalubre, imo & periculosum *crudum pavonem*, ut cum satyrico, loquar in balnea ferre? Quid fuerit instituti veteribus, cum statim a balneo ungerentur oleo, pulvere conspergerentur? Aliaque hujus generis problemata solvuntur, quæ circumferri, & agitari Hygieine solent. Nec minus bene sentitur subtilior veterum de balneis theoria, quæ cum quotidie usurparent de viribus solliciti, ita ornaverant, ut, dum nihil de robore decederet, at cutis flexilitas, & perspirationi egressus conciliaretur, & immodicum molientis exitum fervor compescere-tur.

[illegible]



DE EXERCITIO, ET QUIETE.



SECTIO QUINTA.



APHORISMUS I.

IN motu violento corpus occulte minus perspirat, quam in aurora post novem, vel decem horas ab assumpta cœna.

Sensus hujus Aphorismi est, corpus minus utilis ac coctæ perspirationis exercitii vi emittere, quam auroræ tempore post somnum. Scilicet per motum violentum liquidiora avolant omnia, sive cruda fuerint, sive cocta. Hinc motus violentus non prodest, nisi exuberet humor nova vi addita expellendus. At motus, seu exercitii habitus sicciorem materiam nutri-

tiam facit, ideoque fibras robustiores. Ut sequente Aphorismo enodatur.

II.

Quod in motu violento per poros evacuatur, est sudor, & perspirabile occultum. Sed ut violentum: magna ex parte elevatur ex incoctis succis; raro enim tantum cocti perspirabilis in corpore colligitur, quantum per violentiam evacuatur.

III.

Sudor semper est a causa violenta; & ut talis, (sicut statica experimenta docent) impedit coctorum perspirabilium occultam excretionem.

Sudor, si non a plethora liquidioris succi oriatur, trahit secum, & avellit partes necdum unitas, nec compactas; sed utilia simul cum rejiciendis abripit, quibus defraudata coctio languet. Ergo perspiratio legitima minor est, licet corpus possit esse ad stateram levius.

IV.

Longe magis perspirat corpus in lecto quiescens, quam in lecto, frequenti, & crebra agitatione circumvolutum.

Confert ad coctionem quies, ut alibi abunde probatum. Nec motus ad perspirationem con-

conducit, nisi post quietis tempora. Vide *Sectionis primæ Aphorismum LI.*

V.

LONGO itinere minus defatigantur hilares, & iracundi, quam timidi, & mœrentes. Illi enim magis salubriter; hi vero minus perspirant.

Illis scilicet, fibræ tensæ, animosaque alacritas vires auget. His, demissi spiritus, fibræ laxiores, circuitus tardior, & quasi alligatus, vires demittit, & prosternit.

VI.

CORPORA, quæ a nimio exercitio illico cibantur, læduntur: quia, ut defessa, & cibo gravata, minus perspirant.

Circuitus a nimio exercitio vehemens, & quasi febrilis, succi exhausti; & parcius secreti obstant coctioni. Adde quod reparandæ fuerant prius quiete vires, & sarcienda circuitus æqualitas.

VII.

EXERCITIUM post septimam usque ad duodecimam horam ab assumpto cibo, magis resolvit insensibiliter horæ spatio, quam tribus horis alterius temporis.

Adest materies; adest exeundi tempus; prodigialiter vires increverunt. Quidni summa

fiat

fiat tunc temporis humoris cocti vacuatio?

VIII.

Evacuatio insensibilis, quæ fit ab exercitio violento, impedit, ne successive remittatur, quod amittitur. Imo si eadem perseveraverit violentia, corpus redditur adeo leve, ut in pluribus de futura tabe verendum sit.

Proportionalis semper esse debet ciborum usus ad exercitium, & labores. Id ab Hippocrate sancitum est: Si a motu maximo minima sit ciborum assumptio, quod consumitur, non reparatur. Hinc macilentia, imo tabes necessario sequentur.

IX.

Exercitio corpora leviora fiunt; omnes enim partes, præcipue musculi, & ligamenta motu ab excrementis purgantur; perspirabile ad exhalationem præparatur; spiritus tenuiores fiunt.

Exercitii cujuscumque effectus primarius est, fluidorum motus, attritus solidorum. Hinc partium motu correptarum tenuatio summa, caloris augmentum, principiorum volatilium evolutio magna. Hinc omnia agi, atque agitari necesse est. Unde omnium tertiæ coctionis excrementorum, ut & perspirationis augmentum.

X.

X.

MOTUS præparat corpora ad excretionem excrementorum sensibilium, & insensibilium; quies magis ad insensibilium.

Sententia hæc summi erit momenti in praxi, si pauca mutentur, dicaturque motu excretionem, quiete preparationem, atque coctionem fieri.

XI.

SI corpus a cœna in lecto quieverit decem horarum cursu, optime perspirabit. Si adhuc diutius quieverit, statim incipiet diminui tum sensibilis, tum insensibilis excretio.

Non ea erit nobis, quæ Sanctorio, mensura; imo nemo ex observatoribus, in aere etiam Italo, decem per horas stertere suaserit. Nascerentur quotidiano usu talis somni laxitas effœta fibrarum, stagnatio liquidi, turgescentia, & omnia, quæ a defectu actionis nascuntur cachectica mala.

XII.

QUIES longa efficit corpora ægrotantia ponderosiora: tum quia perspirabilia excrementa motu ad excretionem præparantur; tum uia quiete, cibi, & potus, si nsoli i sint q vel debito copiosiores, ut in ægris ac-

accidit, non digerunt. Et inde omnia mala, & sæpissime mortes eveniunt.

Quies nimia fibras laxiores, & ut veterum verbis utar, carnes effœminatas facit. Hinc oriuntur defectus motus, defectus coctionis, defectus vacuationis cujuscumque. Unde cachexia.

XIII.

Si diu jacenti dolores pedum superveniunt, remedio est ambulatio; si iter facienti, quies.

XIV.

Duo sunt exercitia; alterum corporis, & alterum animi. Corporis, evacuat sensibilia excrementa. Animi, insensibilia magis, & præcipue cordis, & cerebri, ubi sedet animus.

Quod de corporis exercitiis verum, nullatenus de animi laboris dicendum: dum enim mens alte meditatur, corporis functiones silent. Hinc verissimum illud Celsi; Philosophia, ut animo proficua, sic corpori noxia maxime.

XV.

Nimia animi quies magis prohibet perspirationem, quam corporis.

Placidioris animi quies semper utilis corpori.

pori. Nisi sit illa stupens, & hebes ab atonia inducta, adeoque morbosa.

XVI.

ANIMI exercitia, quæ maxime faciunt exhalare spiritus, sunt ira, perichatia, timor, & mœstitia.

Hi motus animi, affectus sunt animi occupati, nec exercitii titulo gaudere possunt. Exercitia animi in meditatione; & comparatione rerum inter se, tota stant. Motus vero animi, dum tonum augent, & activam violentiam, circuitum accelerant; liquores expandunt; & possunt perspirationem adaugere aliquando. Sed leves sint illi, nec hominem concutiant totum, aut convellant.

XVII.

CORPORA in lecto quiescentia, vehementi animi motu agitata, ut plurimum magis resolvuntur, & levioris ponderis fiunt, quam si animo placido cum vehementi corporis motu, sicut fit pilæ ludo, agitarentur.

Animi affectus illi nulla alia ratione in corpus agunt, quam dum intendunt motum sanguinis. Hi, si vehementes, breves sunt, & virium brevium. Nec possunt quoad effectus in liquida conferri cum continuato corporis motu; si præsertim exhalationi faveat animi placiditas.

XVIII

XVIII.

Exercitio nimio excrementa primæ, & secundæ coctionis magna ex parte per totius corporis ambitum dispensantur. Ideo alvus aret, & exsiccatur, corpora tamen fiunt leviora; quia longe major est evacuatio insensibilis, quam excrementorum crassorum excretio per alvum facta.

Omnia in violento corporis motu, legibus novis nec ad naturæ normam regulatis, peraguntur. Cruda ad cutis hiantia vasa per cordis motum feruntur, cruda per patentes omnes vias sibi postulant exitum: hinc nascuntur levitas ad stateram, gravitas ad sensum.

XIX.

Exercitium animi, & corporis violentum reddit corpora levioris ponderis, efficit velocem senectutem, & mortem præmaturam minatur. Citius enim *ex Philosopho* moriuntur exercitati, quam non exercitati.

Animi, & corporis exercitia adversas inter se potestates obtinent. Hæc enim motum cordis, applicationem nutritii succi intendunt: illa motus omnes vitales, & naturales constringunt, & quasi alligant. Hinc philosophis, & otio litterario deditis, ad vincendam e studiis mentis natam tardationem circuitus, coctionis, & perspirationis, suadenda salubris cor-

corporis exercitatio. Porro in viris, qui exercitiis quibuscumque fatigantur, vita ut intensior, & actuosa magis, ita & Aristoteli credita fuerat brevior esse debere.

XX.

EXERCITIUM violentum, a corpore, cibo, vel crudo succo referto, aufert pondus sensibilium excrementorum minus solito; insensibilium fere nihil.

Rapidius exercitium, in crudis referto corpore, coctioni officit, dum liquidiora secum rapit, quæ ad hanc requiruntur. Hinc, etsi violentus sudor ab exercitio præpostero, nulla tamen fit perspiratio. Imo urina, licet ardentior, & spissior, cruda tamen, & pauca exilit.

XXI.

EXERCITIO, corpus minus perspirat: somno magis, & magis lubrica redditur alvus.

Per exercitium fortior expulso est; per somnum coctio magis regularis. Hinc, ut exercitium sudore siccat alvum, & tollit urinam; somnus omnia ad naturæ normam restituit.

XXII.

FRICTIONES, & cucurbitulæ in refertis crudis succis impediunt perspirationem.

Idem frictionum, atque exercitii effectus.

Cu

Cucurbitulæ, cruda ad cutem advocantes, vasa obstruunt, & infarcta obturant.

XXIII.

Tunc exercitium est saluberrimum, quando post factam primam, & secundam coctionem corpus reducitur bis in die ante cibum ad consuetum pondus.

Vera hæc est exercitii faciundi regula. Hic solum notare convenit, ne nimium illud fiat.

XXIV.

Natatio statim post exercitium violentum, mala; valde enim impedit perspirationem.

Tunc enim omnia turgent ad exitum, quæ subito frigore repercussa in interiora, sed vulgo in thoracem decumbunt. Unde lethales pleuritides, anginæ, imo & in plethoricis apoplexiæ oriuntur. Sed si resederit corporis motus, & humorum pacata fuerit ferocia, nullum exhaustis, nec jam calescentibus, præsidium balnee præsentius, quod fibras tensione aridas alluit; vasa aperit infarcta; aquam liquidis fere in resinam versis suppeditat.

XXV.

Exercitium violentum, ubi spirat ventus, malum.

Si

Si in partem exercitam subito decumbat aer frigidus, partes stringit, & refluxum perspirationis in interiora facit. Hæc autem ab exercitio acrior facta est, ut exponitur Aphorismo sequenti.

XXVI.

A vento adiapneustia; a motu acrimonia.

XXVII.

EQUITATIO respicit magis perspirabile partium corporis supra lumbos, quam infra. Inter autem equitationes, tolutans saluberrima; sicut succussans insaluberrima.

Tolutarius equus, sive gradarius, est ille, qui gressus bene, & celeriter volvit, minusque fatigat equitem. Sanctorio nihil hic commonstravit statera. Sed antiquos secutus est duces, qui animadverterant crura pensilia ab equitatione incrassari; teste Svetonio in Augustum. At ratio indicat, equestri succussu plus juvari perspirationem, seu exhalationem pulmonum.

XXVIII.

VECTIO in lectica, nec non in cymba, corpora minus disponit ad debitam perspirationem, quam deambulatio.

Res evidens nullo indiget commentario.

XXIX.

Cymbæ, & lecticæ motus, si diu duret, saluberrimus; tunc solum ad debitam perspirationem mirifice disponit.

Continuato succussu habitus oscillationum resarcitur; & stagnantium liquorum tum circuitus, tum applicatio fortiores fiunt. Unde robur increscit, & sanatur debilitas.

XXX.

Vectio in curru omnium violentissima est: non enim solum perspirabile incoctum exspirare facit; sed etiam solidas corporis partes, & maxime renes offendit.

Frequentissime inter omnes homines aurigis accidunt aortæ aneurysmata, notante Lancisio. Renes, hepar, omniaque viscera, si concutiantur vehementius, possunt & de sede sua deturbari, & rumpi aliquando. Sin vero, quanta sint in rheda, & curribus vectionis beneficia, videatur apud Sydenhamum.

XXXI.

Saltus primo vires ad intra trahit; deinde ad extra cum impetu propellit; & cum violentia coctum simul cum incocto expellit.

XXXII.

Disci exercitium compositum ex motu mo-

moderato, & violento; deambulatione scilicet, & agitatione brachiorum, perspirationi conducit.

XXXIII.

TRIPUDIATIO moderata, & sine saltu, proxime ad deambulationis moderatæ laudes accedit: perspirabile enim coctum moderate expellit.

Partes, quæ validius exercentur, roboris etiam plus acquirere, per fortiorem alibilis materiæ intrusionem, evidens est ab observatione quotidiana brachii dextri eorum, qui vel pila, vel disco exercentur. Adeoque licet universali perpirationi exercitia hæc conferant, roborationi etiam peculiare commodum afferunt; modo intra moderationis leges contineantur. Diutius vero potest exerceri tripudiatio, quæ ad numeros instituta musices, ex quiete, & motu regulari componitur.

XXXIV.

UBI transpiratio in sanis deficit, exercitio sarcitur.

XXXV.


A nimio exercitio fibræ fiunt duræ; unde senectus, quæ est universalis fibrarum durities. Hæc, condensando meatus, calorem suffocat; mollities, aperiendo, longævitatem facit.

XXXVI.

Qui vult diutissime juvenilem faciem conservare, caveat, ne sudet; vel nimium præ calore perspiret.

Norunt bene mulieres, quantum rugis inducendis sudor conferat, dum folliculos faciei nimis vacuat; & sic, arctatis eorum capacitatibus, intervalla contrahit, & fibras adducit ad se. Unde nitor cutis deturpatur.

SE-



SECTIO SEXTA.

De Coitu ad Perspirationem collato.



INTRODUCTIO.

SAPIENTER a summo rerum conditore institutum est, ut dum a reparando, & quasi renovando genere humano multa miseros mortales deterrerent; traheret tamen ipsos voluptatis sensus, & impetus ille ferox, quo ad mutuos amplexus ruunt omnia diversi sexus, & ejusdem generis animalia. Amor omnibus idem. Ubi scilicet corpus ad firmum staturæ suæ apicem pervenit, tum quasi superfluum, fœcundando fœminarum utero exoritur liquidum, quod in viris non sine convulsiva voluptate natura profundit; & si sensum judicem amplectamur, velut ex omnibus totius corporis partibus in muliebre arvum trahit summa vehementia. Nec minus ipsæ mu-

mulieres, licet nil tale amittant, convulsivis tamen tentantur motibus, & aliqua liquoris parte proluunt genitalia. Viris vero maxima operis pars impendet, & onus maximum. Sed si non vacuatur materies illa, quæ quasi redundat, nulla ipsi alia via aperta est, verum in sanguineum laticem redux, inter nutritias, atque corroborantes partes locum accipiet, & totum in utilitatem machinæ vertetur. At pars ejus maxima, & usibus nostris inepta, ut tenuissima, coctæ naturam, & vias æmulatur perspirationis, ejusque ut copiam auget, ita dotes extollit, quod odor virorum præcipue cælibum specificus satis demonstrat.

Ut ergo coitus, sive nimii, sive deficientis discrimina severo examine possimus ad trutinam revocare, notandum ante alia erit, seminis emissionem non esse simplicem humoris facile perdendi exitum, sed humoris elaboratissimi cum universali totius corporis nixu, imo & convulsiva agitatione, violentam ejaculationem: unde & robustissimi homines, momentanea quadam epilepsia concidant, oculis tenebras, auribus bombos, artubus jactationes, & concussum simul vehementem, experientibus. Hinc in coitu non tantum ex humorum parte deperditio summa corpori, sed etiam solidis delassatio ingens oritur. Concedere ergo ipsum juvabit, solis homini-

nibus, juventa, & robore fretis, humorum diviti copia, & nervorum robore gaudentibus. Ipsorum de viribus detrahere nullum erit piaculum. Sed suadeat ipsis coitum salubre corporis robur, quo integro brevi perturbatæ a tanto tumultu functiones in integrum restituantur, viamque usitatam brevi sibi resarciat perspiratio. Sed quanta debiliori corpusculo inde nascetur jactura? Periculum quantum? Cum satis liqueat vel robustissima inde, si immoderate ruant in hos amplexus, debilitari, & infirmari. Debilibus vero, quos Venus recens, male cocto, & macilento semine exhausit, tremunt artus, oculi obscuriores vix nitent, caput quasi vacuum sentitur, mens ipsa labori inepta jacet iners, cutis arida, & urens, nec sudore roscido videtur persusa. Pars enim æquabili tono inducendo maxime pretiosa absumpta est, & deperdita, nec cito reparabilis, cum ventriculus ab ipsa illa vacuatione gravis, pondere ciborum oneretur, & eos concoquat difficilius multo, nocet ergo perspirationis exercitio, ut & cæteris functionibus coitus. Sed etsi non lædat robustos, & excessibus quibuslibet ferendis aptos, ipsos tamen juvare, sublevare, roborare numquam per se potest, quod hac unica probaverim propositione, quod multi diu inter homines robustissimi vixerint, & sanitatem illibatam ad usque summa vitæ

 spa-

ſpatia deduxerint, nec unquam tamen aut muliebre attigerint conſortium, aut ſemen quaque via conſumpſerint, quod certe fieri non potuiſſet, ſi, quod vocamus ſuperfluum ſeminale retentum nocere natum eſſet, adeoque debuiſſet e corpore ejici.

Carere vero venere multis e præjudicata circa ſanitatem opinione periculoſum videtur, & illud exercitium inter ſalutaria judicant; quibus corpus repurgetur. Horum in partibus militat Sanctorius noſter. Verum eorum pace dixerim, exercitia inter & venerem ſaltem in vitis paritas nulla. Superfluum enim eſt, & ſtagnat, quod per exercitium moderatum amittitur, & intermiſſum, aut omiſſum exercitium multis rependitur noxis evidentibus; quod contrarium eſſe de venere, quotidiana comprobat experientia. Etſi vero non negandum ſit utrimque liquidum reparabile e corpore avehi, & auferri, magna tamen liquidi ablati differentia eſt. Si enim ſepoſitis omnibus hypotheſibus ſemen ſpectaveris, offeret meditanti ſpiritibus tenuiſſimis remixtam, ſed elaboratiſſimam mucaginem, adeoque idoneam alendis, & reparandis partibus: quæ vero per exercitia auferetur liquida pars, ea demum in legitimum excrementum converſa eſt.

Præterea vero licet ſuccuſsationes exercitii regulati, nec abnormis, dum motum juvant

cir-

circularem, materiemque applicant, & apponunt nutritiam, utiles sæpe haberi possint, numquam certe is erit effectus violenti, & convulsivi in solidis concussus, quo toni omnis æquabilitas perit, & tollitur.

Ea quidem omnia, quæ hic de illo exercitii periculoso genere proferimus, ita accipienda sunt, ut mechanice tantum rem spectemus. Qua sub facie, quæ multum alimenti suppeditant cibaria, plus etiam seminis ingenerant, quæ plus stimuli inferunt condimenta, plus ad excretionem seminis sollicitant; unde sine Cerere, & Baccho frigere Venus dicta. Verum etiamsi veneris exercitium plethoram dicatur tollere, & revera abducta alimentari mucagine illam tollat, cum tamen cæteris excrementis e corpore emungendis obstet, & vires sinat fatiscere, plethoram ad vires facile facit. Imo & ex dictis cachexiæ facilem ausam præbet, cum quasi exsuccum sanguini cadaver relinquat, &, ut veterum verbis utar, nervos aridiores præstet, coctiones omnes proturbet, & deterat, noceatque secretionum regulari exercitio, quod omnino a coctionibus pendet.

At si ex animæ parte in corpus agentis spectetur res venerea; en novus rerum ordo exsurgit. Vel enim potenti seminis stimulo in nervos agentis, corpora robusta, humoribus bene coctis, imo & ab ipsa tentigine arrectis solidis, in furias, ignemque ruunt, vi

verso, sæpe post nixus venereos, ipsa debilitas sudores prolicit, lingua arescit, amarescere videtur; & si pulmones debiliores fuerint, aliquando suffocatio thoracem invadit. At, coctis omnibus, somnoque peracto, tunc seminis fœcundi ejaculatio, nulli functioni nocet, levitatem, & alacritatem corpori relinquit, imo & quamvis perspirationi pro tempore tardandæ apta videatur, brevi resarcitur ipsa, & corporis robur sartum, tectumque relinquitur.

At omnia rei venereæ incommoda eo majora sunt, quo cupido vehementius exarsit, & post longas, irritantesque moras quasi a sitiente amore arrepta est. Tunc enim non vacuatio solum, non nervorum concussio unice spectanda est, sed inter vehementissima animi pathemata libido illa furiosa habenda est, & numeranda. Hinc cum motus animi vehementissime corpus afficiant, ejusque sensiles fibras summopere defatigent, imo eas tensione acerrima torqueant, necesse est, ut ubi conquievere illi, & quasi deferbuere, præteritæ tensioni proportionalis nascatur atonia, unde nova coctionibus, adeoque inde natæ perspirationi pericula impendent; quibus omnibus caret malis, qui castam instituerit vitam.

Patet inde, quod præter liquidi summe pretiosi vacuationem, quæ semper corpori saltem inutilis est, omnia competant ad rem

vene-

veneream præcepta, quæ exercitiis rite instituendis, & animi moderandis affectibus necessaria sunt.

Verum longe graviora sunt incommoda eorum, quibus, etiamsi corpus infirmum sit, aut saltem minus robustum, prava tamen mentis deliræ cupidine ardenter exoptatur venus. Hi sunt libidinosi homines, quibus sæva sibi ipsis indulgentia in torturam facessit. His vulgo in prima juventa nil sibi recusare assuetum. Assuetudo peperit habitum. Repetita seminis vacuatio plurimos humores in partes semini secernendo assuetas derivavit. Mobilitas, ut & sensilitas partibus erigendis accrevit, & corpore jam extenuato, in partes peccato paratas, vis omnis spirituum defluxit, ita ut jam nec fœminarum aspectum impune tolerare, aut a vi ipsis inferenda sese temperare possint. Illis a corpore in mentem facta est impulsio, mente tamen prius rea: verum alii sunt, quibus a mente in corpus fluxit malum. Hos fallax gratia vultus blandioris, ementitæ lacrymulæ, figmenta mendacis amoris fæminea in nexus venereos irretiunt, unde jam nec famæ, nec rei domesticæ, nec sanitati consulere fas est. Omnibus his tensio fallax, aut arte infami, aut mentis stimulis incitata, atoniam parit, unde brevi enerves, atoni, tremuli evadunt. Cito ipsis coctio omnis, omnis perspiratio disperit, chylus vappescit, humores pessimi-

dan-

dantur, & ipsa crudi seminis jactura debilitatem debilitati addens, dum tenuissimas partes avehit, capitis functiones præcipue lædit, imbecillitatemque animalium functionum infert; donec, malo grassante, & vivace causa mali, phtisim accersat, aut immedicabili cachexia hydropem inferat. Nec jam aliquid de perspiratione sperandum est, cum gravissima quæque mala instant. Sed primus certe mali consultæ illius veneris effectus est totius corporis delassati, mente necdum satiata, gravitas; quæ ut ad sensum est evidens, ita ad stateram non semper vera est, cum seminis quæcumque emissio ponderosum liquorem a corpore avehat, simulque ab ea jaculatione, quo debilior quisque, eo etiam magis in sudores solvatur. Nec est, quod non pudeat hic de propudiosis artificiis loqui, quibus languens, & quasi funerata pars ad sterilem vitam revocatur. Pessimis enim malis pessimæ subagitationes plectuntur, & debilitas partium inducitur immanis. Inde liquet juvenibus solis, & viris ætate florentibus venerem esse concessam. Pueris enim, crudo adhuc fluente semine, a venere prematura liquor nutritius, necdum aura seminali fœcundus, abraditur, vellicantur nervi, & ab ipsa vellicatione fatiscunt. Ingenio, coctioni, memoriæ, male consulitur. Senibus, quod superest virium, tollitur, & licet aridiores nervi minus noxæ sentiant, non

non tamen ab alia causa tremor, cæcitas, surditas magis invalescunt, & licet aliqua possint excitari exempla senum libidinosorum, qui vitam protraxerint, imo non rara sit in deliris senibus falsa tentigo a stagnante in testiculis, & seminalibus vesiculis liquido acri exorta, inconcussum tamen manet perniciosam illis esse venerem, cum ipsæ cogitationes venereæ, mentem fatigando, erethismum concitando, inter nimia exercitia numerari possint.

Sed hæc omnia mares tantummodo spectant. His enim solis pretiosus seminalis liquor ingentibus nixibus quasi ex universa machina profunditur. Mulieribus concussus quidem, & titillatio vehemens, imo & sæpe animi deliquium breve; verum paucum omnino quod ex liquidorum parte vires defraudet: nec minor tamen in vasa, glandulas, earumque rectores nervos actio. Nam erethismo quasi subito partes omnes venere imbutæ arriguntur, tonum concipiunt, unde sæpe proliciuntur sudores, sed cum minima virium jactura. Imo, quasi medicamento vellicante, omnia plus virtutis actuosæ concipiunt, videturque in coitu mediocri saltem, nec ultra vires exercito, languori ipsarum, & atoniæ; in quam tam facili negotio incidunt, (absit verbo invidia) aliqua reperiri medelæ forma. Quod & ipse sensit Hippocrates, & ratio satis indicat. At

si

si ex eo genere fuerint, quæ libidinosæ, & ardore, atque tentigine venerea correptæ viris delassari se potius patiantur, quam satiari; non mirandum si, quæ vehementia inferunt nervorum incitamenta, erethismus, nervorum absona, & perpetua irritatio, ventriculum subvertant, coctiones pessumdent, adeoque & secretionum legibus obstent; quod quidem ratio comprobat, nam in re, sacro premenda silentio, experimenta proferre impossibile est. Nec rarum tamen est iis occurrere mulieribus, quas nimia Venus etiam licita, in debilitatem adigit, & queis invehit cachexiam, nerveam illam quidem, & atonia miserandam, sed quæ interrumpatur; & misceatur turpiter spasmis atrocibus, crissationibus venereis, & libidinosis deliramentis. Quamquam fatendum sit, præcipua, quæ iis inde oriuntur mala, utero plerumque peculiaria esse, easque plurimum invadere, quæ viro nondum maturæ, ante ætatem, & crudæ adhuc compressæ sunt. Unde in genere patet venerem fœminis esse multo salubriorem, quam viris, modo non illa remixta sit cum tristissimis animi affectibus, qui quo modo in corpus agant alibi erit exequendum.





DE VENERE.



SECTIO SEXTA.



APHORISMUS. I.

NIMIA abſtinentia a coitu, & nimius uſus impediunt perſpirationem: ſed nimius uſus magis.

Coitu nimio perſpirationem minui, viribus fatiſcentibus, & labefactatis coctionibus, obſervationis eſt. Verum abſtinentes a coitu, ſive ob vitæ inſtitutum, ſive ob cupidinis defectum, ſani vivunt; imo cæteris robuſtiores.

II.

POST coitum immoderatum quarta pars ſolitæ perſpirationis in pluribus prohiberi ſolet.

VI.

Post nimium coitum cum muliere, quam maxime concupita, non sentitur illico lassitudo; animi enim consolatio juvat tunc perspirationem cordis, & auget ejus robur; unde in ipso, quod amittitur, promptius remittitur.

VII.

Propensi ad coitum, si temperent libidinem, illico succedit corporis agilitas; quia tales melius perspirant.

Repugnat hic Aphorismus primo hujusce sectionis. Nec minus tamen verus est. Refunditur enim intus vis spermatis retenti; & roborat omnia.

VIII.

Immoderatus coitus facit perspirare cruda; quæ deinde carnes frigidas efficiunt.

Fatiscentibus vasis, & concidentibus viribus, laxantur pori, fit sudor, & inertia sequitur, debilitatis comes.

IX.

Coitum non nocuisse hæc indicant: urina æque cocta, ut ante; corporis agilitas; respiratio facilior; & idem fere corporis pondus perseverans. Eadem tamen servata, eorum,

quæ ingeruntur quantitate, & qualitate.

X.

Præsens vulnus immoderati coitus est stomachi refrigeratio; futurum, prohibita perspiratio; unde facile fiunt palpitationes in superciliis, & artubus; & deinde in membris obtinentibus principatum.

Coitus in nervos primario agit, quos convulsive, quotquot sunt, agitat. Tum vero ventriculum a coitu pessundari quotidiana est observatio. Unde omnes hic enumerati pendent effectus.

XI.

Coitus in æstate magis nocet; non quia corpus magis perspirat; sed quia coctio, cum sit minor, deperditum difficilius resarcitur.

Coitus æstate magis nocet, quia subtilioribus exhalantibus, vires tenuissimo spirituum volatilium proventu defraudantur; & vix instaurantur ea, quæ fatiscunt.

XII.

In actu venereo multum crudi perspiratur; & si diu duret cruda transferuntur a centro ad corporis ambitum; fiunt obstructiones; & inde alvus supprimitur.

Exer-

Exercitio enim violento comparari potest coitus, in quo crudior materia vehementer agitata quaquaversum sine ordine fertur. Tum profunditur instrumentum coctionis utilissimum.

XIII.

QUANTO quis majori coeundi cupiditate conflagrat, tanto ejus usus immoderatus minus lædit.

Si salubris corporis conditio coitum suadeat, non imaginatio accensa libidine. Alioquin res in casum Aphorismi V. reciderent, in quo loquitur auctor de effectu venerearum cogitationum.

XIV.

COITUS immoderati detrimentum præcipue manifestatur post somnum sequentem; tunc enim ex staticis experimentis cognoscitur, perspirationem esse impeditam; & cibum esse male digestum; nec non stomachum esse læsum.

Ubi amissa ante somnum, soporis beneficio, non fuere restituta, & resarcita: patet naturam, & singulas ejus functiones fuisse revera debilitatas.

XV.

COITUS lædere solet primam coctionem: primo, diminuendo perspirationis promptitu-

dinem ; deinde , in crudam qualitatem convertendo cibum.

Vide præcedentia.

XVI.

Qui coitu utitur, & ſperma non emittit, minus debilitatur. Itidem , ſi die ſequenti utatur , & emittat, quod die præcedenti fuit præparatum , minus debilitatur.

XVII.

Illi , qui coeundo ſperma ex ſtudio non emittunt, in tumorem teſticulorum facile incidunt: ſperma enim eſt imperſpirabile.

XVIII.

Coitus immoderatus , poſt ſtomachum , lædit magis oculos.

Non oculos tantum lædit immoderatus coitus , ſed & ipſam mentem. Imo magis durabile ipſi infligit malum , quam oculis , quos vacillatione potius , & ſpaſmo, quam obſcuratione percellit.

XIX.

Coitus immoderatus lædit viſionem, quia ab oculis ſubducit maximam ſpirituum copiam : inde tunicæ oculorum præduræ, & rugoſæ ; nec non meatus minus pervii redduntur.

Irre-

Irregularem musculis motum impertit; unde visionis axis subvertitur.

XX.

A diminuta perspiratione fibræ tunicarum oculorum opaciores: inde visio fit per spatia perexigua, qualia sunt in cancellis; specilla uniunt obiecta in cuspidem, ut distincte per unum solum spatium videatur.

Repugnat regulis optices sententia; nihil fixi, aut ad theoriam visus accommodati indicans.

XXI.

A coitu immoderato diminuitur calor naturalis. A diminuto calore, diminuta perspiratio. A diminuta perspiratione, flatus, & palpitatio.

Sub caloris nomine, hic vitæ actio intelligitur; quæ, tum lassitudine fibrarum, tum liquidi pretiosi sublatione, fatiscit.

XXII.

COITUS immoderatus postulat cibos paucos, & boni nutrimenti.

Alimenta enim viribus proportionalia esse debere ratio indicat.

XXIII.

COITUS calefacit jecur, & renes, quia ex-

 cita-

citatus calor minus exhalat. Refrigerat vero ſtomachum, cerebrum, & cor; quia per meatus patentiores excitatus omnino, & proprius aliqua ex parte, propterea reſolvitur.

Ex præjudicata antiquorum opinione, orta ſententia nihil veri habet, niſi quod coctioni officiat ſtomachali coitus; quod veriſſimum teſtatur experientia.

XXIV.

HINC coitus immoderatus in hepate bilem; in renibus nephriticum affectum; in ſtomacho crudum ſuccum; in cerebro catharrum; & in corde palpitationem, & ſyncopen, generat.

Hic nulla ſtateræ mentio. Axiomata hæc ex Hippocratis, Galeni, & Arabum ſcriptis excerpſit Sanctorius.

XXV.

EDULIA poſt nimium coitum, ſi flatus gignant, ut oſtreacea, & muſtum, pernicioſa; impediunt enim ne ad conſuetum pondus corpora reducantur.

XXVI.

MACILENTIS magis nocet coitus, quia magis calefiunt, & magis refrigerantur.

Fateor minus verum videri axioma; niſi macilentia ab exhauſto liquido, naturali pendeat.

XXVII.

Coitus immoderatus illico maxime leve efficit corpus, quamvis deinde perſpirationem prohibeat. Eſt enim vehemens corporis, & animi motus: corporis, quia omnia membra conquaſſantur; animi, quia reſolvitur, quod colligat animum corpori, ſpiritus ſcilicet vitalis.

XXVIII.

Si poſt coitum, ſomnus laborem facit, ex coitu major facta eſt ablatio, quam ex ſomno facta ſit vitalis ſpiritus additio.

XXIX.

Post nimium coitus uſum, ſomnus trahit cruda ad cor: unde languor, probibita perſpiratio, ponderis augmentum.

Vires concoctrices in ſtomacho primum, dein intra vaſa læduntur. A læſa coctione quantum lædatur perſpiratio, ex prædictis intelligitur.

XXX.

Senes ex uſu moderati coitus fiunt ponderoſiores, & frigidiores: juvenes vero, leviores, & calidiores.

Nihil in ſenibus coctum amittendum. In junioribus ſæpe exundat utile, & plethoram minatur.

XXXI.

XXXI.

Coitus in juvenibus animalem, vitalem, & naturalem facultatem roborat. Animalem per motum expurgat, & sopitum excitat; naturalem per evacuationem superflui; & vitalem per lætitiam.

Non ideo omni tempore, omni loco, jejunis, aut cum ventriculus uberrimo cibo redundat, aut tono vinoso turget, coitus juvenibus prodesse potest, ut nec fatigatis, aut acri imaginationis vivacitate perculsis. Sed salubre corporis robur consulendum, cui si fræna injiciat morum sanctimonia, nullum tot malis caruisse erit periculum.

XXXII.

Cibus copiosior solito, post immoderatum coitum, interimeret, nisi succederet aliqua ciborum corruptela.

Inertia ventriculi periculosa semper. Salutaris sæpe à coitu præpostero vomitus excitatur. Sin minus, sæpe in diarrhæam putridam abit, vitiata, & spontaneæ mutationi commissa alimentorum moles.

XXXIII.

Dum est coeundum, parum, vel nihil comedendum. Dum est comedendum, parum, vel nihil coeundum.

XXXIV.

XXXIV.

Si post coitus excessum nulla persentitur lassitudo, malum id, perinde ac in phreneticis, fit ab incensis spiritibus, qui exsiccando, brevi spatio, roborant nervos, & tendines; sed paulo post imminuitur spirituum generatio, & vires derepente cadunt.

Scilicet a falso, & superaddito tono, quem mens ardore inexhausto alienata concipit, & in corpus refundit. Sed fatiscente per actus exercitium mentis fervore, supervenit illico delassatio ingens, spiritibus exhaustis.

XXXV.

Coitus juvat, excitatus a natura; a mente, mentem, & memoriam lædit.

XXXVI.

In debili ob coitum augetur corporis pondus: quia minus perspirat.

XXXVII.

Coitus importunus impedit perspirationem, quia diminuit vires: unde corpus fit majoris ponderis, nisi sequatur alvi fluor.

XXXVIII.

Nimius coitus calefaciendo, & exsiccando magnam jacturam facit: si vero insensibili per-

perſpiratione remittatur caliditas, & alimento ſiccitas, nullam.

XXXIX.

Corporis agitatio in coeundo, inſtar canum, magis nocet, quam ſeminis emiſſio. Hæc ſolum viſcera; illa omnes nervos, & viſcera defatigat.

XL.

Usus coitus a cibo, & ſtando, lædit: a cibo, viſcerum officia divertit; ſtando, muſculos, & eorum utilem perſpiratum diminuit.

Res ex dictis ſatis enodantur. Theoriam hic Sanctorii refellere, obſervationes confirmare, facile. Nec credendum huic aliquid circa ſpurciſſimam voluptatem a ſtatera fuiſſe indicatum.

XLI.


Post motum, coitus inſalubris; poſt cibum, non ita; poſt ſomnum, ſaluberrimus.

In priori caſu labori labor additur. In altero parum ſibi conſtat Sanctorius, & experientiæ, quæ docet a cibo nocere maxime coitum. Sed poſt ſomnum, omnibus inſtauratis, & cocta exundante materia, facilis, imo aliquando utilis ſeminis jactura.

XLII.

Coitus calefacit jecur, & refrigerat ſtomachum: a ſtomacho, crudus ſuccus; a jecore, bilis: unde porracea, & oris morſus. Remedio eſt victus tenuis, & libera perſpiratio.

SE-



SECTIO SEPTIMA.

De Animi Affectibus ad Perspirationem collatis.



INTRODUCTIO.

Si destitueretur animi affectibus homo vegetantium more, vitam duceret uniformem, & legibus mechanicis omnia in corpore viventi regerentur, atque comprehenderentur. Verum longe aliter se res habet. Quantumvis enim ratione retundatur illorum impetus, & ferocientibus frœna injiciantur, nullus est adeo triplici ære Stoicorum instructus, ut non per totum vitæ, quantumcumque est, stadium, illis obsequatur, & motibus imperiosis obsecundet. Ab animi affectibus, vel ipsa corporis exterior structura ita mutatur, ut mentis conditionem intimam in hac externorum lineamentorum mutatione legere facile sit. His

His furor animi laborantis, oculis, vultu, artuum motu, positura, contractione accurate pingitur. Illis desidia, languor oculos quasi moribundos invadit. Aliis flammam, & furias spirant oculi ardentes, & conceptum sub pectore ignem evomunt. Nec vultus, nec color idem remanent. Frons, supercilium, genæ, oris motus varii, quid patiatur, quo feratur anima depingunt. Hinc pallor, inde rubor, hinc impetus, inde stupor interiora designant. Norunt id Parrhasianæ, aut Phidiææ artium asseclæ; ad id mentiendum, scenici Mimæ vultum variis torsionibus pro lubitu immutare student, quod numquam tamen accurate æmulantur, nisi dum vultum conantur fingere, mentem ipsam prius sibi imaginationis vi perculerint.

At pro diversa corporis conditione eadem prorsus actio oppositos exerit effectus; ita sæpe pedibus timor addit alas, sæpe contra fugam præpedit. Ira, furor brevis sæpe actionem prodigialiter auget, aliquando immobilem, & deliquio proximum præstabit hominem; causa eadem, effectus primarius idem, sed diverso gradu, spasmus, levis actuosiorem vitam reddit, maximus nimia tensione omnem supprimit ad agendum facultatem.

Quodcumque mentem afficit, & nunc angit, nunc percellit lætitia, in corpus quasi reflectitur. Cum vero quæcumque mentem, & ab ea corpus commovent, vel læta sint, vel

vel triſtia, vel ἀδιάφορα, ſeu indifferentia, ea vero, quæ indifferentia vocantur, hominem de ſtatu naturali nullatenus deturbent, ſequitur ut omnes pathematum quorumlibet impreſſiones in duo dividantur genera, quorum aliæ placent, juvant, & lætæ ſunt; aliæ odioſæ ſunt, & horrendæ, mæſtitiamque inferunt. Quorum ut impreſſio in mentem ſibi directe adverſa, & contraria eſt, ita in corpus effectus debent etiam inter ſe contrarii naſci, & agnoſci.

A lætis affectibus, niſi vehementibus, & ultra rationis modum provectis, nil triſte poteſt expectari. In iis tonus augetur, intenditur, & omnes increſcunt actiones. Coctio plenius, & melius peragitur, ſecretiones liberius decurrunt, & fiunt alacrius: perſpiratio ergo plenior; & liberior fit, quam ſi vita a pathemate quolibet otioſa quaſi ferietur; ſed ſoli ſe regendam tradat mechaniſmo. Hinc eo modo affectis pulſus plenior, uberior, laxior, vita actuoſa, vultus colore florido nitidior, oculi vivaces, omnia denique ſanitatis ſigna exuberant, & quamvis tonus auctus ſit, & ad actiones alacritas aucta, tamen nulla apparet erethiſmi nota, quia per omnes artus æque diffunditur lætitiæ actio, nec ullum præ alio occupat. Si tamen immodica illa, & inexpectata in homine ſpem præverterit, & rationem ſuperaverit, aliquam convulſionis ideam, & faciei, & re-

& respirationi inservientibus musculis infundet; unde risus, brevi in omnes artus diffusa pace difflabilis. Certe difficile est augurari quid nocumenti risus immodicus ad perspirationem afferre possit, nisi quatenus circuitui ponit obicem, qualia aliqua fabulosa apud antiquos proferuntur exempla; sed risus ille, seu convulsio læta subitanea, numquam perdurare potest, cum ab aliquo stupore pendeat, nec animi affectus etiam lætissimos comitetur, si non ab improvisa, & quasi absurda causa concitetur. Lætitiam igitur, & lætos affectus, in universum, & semper, ut sanitati conducere, sic & perspirationem juvare fatendum est.

Verum ea, quæ mentem e fœlicitatis statu dejiciunt, animi pathemata, eamque aut odio incendunt, aut mærore conficiunt, in tristissima animi conditione duplici tamen ratione videntur, utraque a se abludente, agere. Alia enim vivida sunt, & impetum enormem referunt, ut ira. Alia contra sunt lenta, & enervant, ac inertiam videntur infundere, ut mæror, ac terror. Qui motus animi quamvis multum inter se differant, in illud tamen consentiunt, quod spasmum habeant pro effectuum causa in prioribus evidentem, & sensibus obvium, in posterioribus reconditum, nec nisi meditanti deprehendendum.

In ira quidem, & furore, caput præcipue in-

incenditur, & quamvis antiqui bilem, & jecur, pro prima ſpaſmi ſede in iratis habuerint, Homero teſte, videtur ſanguis præ ſubito cordis, & vaſorum ſpaſmo ad caput deferri: unde vulgo rubeſcit facies, pulſant carotides, jugulares venæ turgent, & ſæpe e naribus præſertim juniorum profunditur ſanguis. Quamvis ergo aliquando pro ſumma ſpaſmi vehementia facies pallore livido inficiatur, nihil tamen impedit quominus hærentiam ſanguinis agnoſcamus, ſpaſmo enim conſtricta vaſa, nihilominus pro ratione arctati voluminis turgent; imo numquam majus imminet apoplexiæ periculum in plethoricis, quam ſi ſeſe ſinant ira, & furore extra rationis limites abripi. Nec minus ſpaſmi præſentiam detegere facile erit in impoſſibilitate ad actionem, quæ ſæpe immanes iras comitatur, cum id omnibus animi pathematibus commune ſit, ut jam diximus, (imo ipſi ſaluberrimæ lætitiæ); ut ſi modum exceſſerint, omnem præpediant actionem, ſpaſmo ab ſummum adducto.

Metuendos maxime poſt arcem capitis ſpaſmi effectus experitur cor, quod quaſi ſtringitur, & actionem recuſat æquabilem [illegible]nde vehementiſſimis animi motibus [illegible]quando mors repentina ſupervenit, ut [illegible] non adeo forti affectus gradu, viſa eſt [illegible]alci catalepſia. Corde ſcilicet affecto in [illegible]ore caſu ceſſabat reſpiratio, in poſterio[illegible] vero compreſſum ab

arie-

arietante sanguine laborabat nervorum principium. Nec insusitatum est, aut inauditum ingentes bilis viridescentis fluctus ab ira percitis hominibus antea sanissimis effusos fuisse, unde turgere in iratis splendidam, vitreamque bilem ab antiquis etiam poetis decantatum est; quod nobis nihil aliud indicat, nisi jecur ipsum spasmo, in ira illa præter rationem concitata, affici vehementissime. Verum in tantis concussibus ipsa sua vehementia cito finiendis, nihil est, quod ad perspirationem dogmata nobis nova suppeditet. Certe, si perspirationis tempore furor ille incidat, nulla est, quæ non abnormem experiatur mutationem vacuatio, quæ supprimi non possit. Aret enim cutis in omnibus simili ratione affectis. Aliunde, susdeque aguntur functiones omnes, coctiones omnes pervertuntur, & praeclare cum machina actum erit, si pleno ventriculo contenta evomantur. Secus novum inde caracter chylaceis liquoribus induceretur; & quasi inchoata fermentatione, necdum absoluta, illi vappescerent. Verum cum, quod tanto impetu desævit, cito leniatur, nec ira furens, nec mæror ille, qui dum totum hominem concutit, ac prosternit, spasmos horrendos circa thoracem, & cor concitat, simulque pallorem vultu, tremorem in artubus, & convulsivos motus præsertim in mulieribus accendit, aut demum terror ille, qui hominem a ratione dejicit, ipsique

vel

vel fugæ potestatem eripit, dum artus omnes quasi alligat, & cordi palpitationem infert, tantum ad perspirationis negotium conferunt, quantum, quæ remanet post primos illos impetus, pessima in corpore dispositio, seu chronica, & lenta affectio, quæ motus animi excipit, cui idcirco immorari nostri est instituti.

Ira ubi desæviit, causa tamen vivace, & intus animum tortore flagello remordente, remanet in homine vindictam spirante tonus fibrarum auctior, sed tristitiæ junctus. Hinc licet vires additæ sint cordi, & sanguinis circuitus plenior, ac vividior sit, inæqualis tamen vulgo remanet ille, & quasi mentis intimo statui responsans, quam nunc ratio moderatur, & compescit, nunc illatæ injuriæ memoria in ignem, & furias concitat. Circulatio ergo licet fortior sit, non ideo tamen liberior dici potest, imo & in minimis vasis, ad cutem præsertim, & secretiora vasa, qua præsertim actio magna nervea est, constrictio quædam, & erethismus reperiuntur. Hinc vulgo cutis in his arida est, alvus sicca, & si perspiratione integre suppressa ingens urinæ vis exilit, aquea est illa, qualem hystericæ, & hypocondriaci emittunt. Præterea vero cum fortiter caput occupetur, & prætermodum laboret, fluctuans vario idearum æstu, illud accidit, quod experientia sola demonstrat, pro unius intensione, cæteras languere functiones. Hinc vitian-

tur, seu potius tarde, & lente conficiuntur coctiones; secretionesque tum proprio organorum erethismo, tum advectæ materiæ vitio, prorsus turbantur, & imminuuntur. Licet ergo sæpe ardor immanis interiora viscerum comburat, & depascatur, exteriora frigent, & pallescunt, miscenturque in uno, & eodem homine hinc febrilis ardor, illinc glaciale frigus ad sensum saltem, nam sæpe frigus illud thermometri testimonium respuit.

Fatendum quidem est symptoma illud plus debilibus competere, quam robustis; quamquam in debilitate illa, qualis est v. g. muliebris, sæpe ira memor convulsiones arcessat immanes, & abnormes, quandoquidem omnia sentit vividius debilitas fibræ gracilioris, & validius persentita a mente in corpus impressionibus omnibus patens, reflectit fortius.

Verum qualecumque symptoma affectent reliquiæ illæ iræ vivacis, remanet tamen pristinum caracter, quo cor ipsum præcipue stringitur, atque afficitur. Unde tam sæpe longa respirationem interrumpunt suspiria, & pulmoni laboranti, sanguinique irritis conatibus in cor arietanti quoddam subsidium præstant.

In hoc vero functionum tumultu minui, simul & pejorari perspirationem necesse est; qua vero quantitate difficile est experimentis deprehendere; cum certe naturæ contemplationi hoc modo affectus vacare vix apte possit,

fit, omniaque vel expetenda maxime, præter animi affectum, parvi pendat vere melancholicus. Sed summa certe copia ipsam minui, &, ut in hystericis, non minui solum, sed repelli, inde augurari fas est, quod in plerisque ita affectis urina aquea exundet. Inde pessima est corporis conditio, quæ cito morbos accersat, ira memor, si præsertim dum intus exardescit, extus aut terrore, aut verecundia comprimitur. Distrahuntur scilicet quasi in contrarios excessus fibræ nerveæ, & colluctantur, unde omnibus functionibus ingens labes afferri debet.

Nec multum dissimilis est, quæ a perseverante terrore nascitur in corpus impressio. Minus est quidem in formidine actuosi, sed plus inest stuporis. Unde spasmo alligata actio, fallacem mentitur atoniam. Id etiam terrori perseveranti inest, quod spasmis omnibus, ut natura illis sensim quasi assuescat, hinc causa eadem remanente, prioribus metus invadentis temporibus, multo plus afficietur animus, per temporis vero efficaciam mitescet admodum. Sed dum stupent corpora, animi formidine afflicta, atque prostrata, languor omnium partium ad sensum evidens, larva facile deprehendenda mentitur atoniam. Hebescunt quidem artuum actiones, oculi quasi morientium pallidi, pulsus ipse tardus, actionem cordis languescentem exprimit, & respiratio suspiriis luctuosa postulat addi languenti pul-

monum actioni quasi calcar, & subsidium: Verum etsi regulares, & ex naturæ instituto conficiendæ actiones plus languoris exhibeant, spasmodica tamen vincula adesse declarant, & pallor in constricta facie tinctus violæ, ab hærente in venas sanguine, admodum variabiles, & leves musculorum in artubus trementibus subsultus, & cordis vel ad minimum motum palpitatio, & anhelitus, imo & veræ in debilibus convulsiones; unde patet eamdem esse agendi rationem, licet diversa sint, imo quasi opposita phænomena in variis naturæ affectubus; spasmum scilicet semper subesse, a quo tardentur functiones omnes, & perspiratio labem accipiat, nulla arte nisi levatione causæ torquentis reparabilem.

O terque, quaterque felices, quos procul ab invidiæ, furentis iræ, mæroris stimulis mordacibus, ab animi affectuum vehementium contagio sub Ægide sophiæ securos, non otium turpe, non vita deses, præstitit, sed altiorum sapientiæ fontium tractatio atque meditatio. Quanquam enim exercitia animi moderate sumpta nullatenus corporis moti exercitiis æquiparanda sint, aliquam tamen utilitatem corpori præstant illa, cum fibras quasi arrigant, eisque tonum impertiant. Otiari quidem videtur corpus, imo & torpere, & in summa animi attentione totum in animam converti, seponique a terrena fæce credideris. Verum stupor ille, undique æqualis, actione non vacat; & mul-

& multum discrepat ab otio mentis, & corporis, quod vel ipsa pulsus inter utrumque differentia indicat. In priore enim subest tensio; & arrectio quædam organorum omnium quasi ecstatica, & latenter actuosa, quæ omnino deficit, elanguescens prorsus in otioso. Hinc etsi mentis profunda in meditatione demersæ labores assidui, nec interrupti possint corpori nocere, secretionibusque, ac perspirationi moras injicere, ut statera Sanctoriana docuit; eorum tamen effectus, cum mentis affectuum tristium effectibus, nullatenus confundendi sunt. Laboris enim illius, qui sine animi angore, & studio fit, impressio fugax est, imo peracto labori succedit hilaritas, & alacritas illa, quæ semper facti optimi, & laudabilis conscientiam sequitur. Contra vero animi mærentis, aut territi affectus semper sub pectore vivit, & anxia perpetuaque cura remordet; nec sine aliqua præteriti erroris conscientia compositus. Adeoque mæroribus, & terrori minor in integrum vitæ, scelerisque purum impressio, cum id certe, vel inter maximas ærumnas, fœlicissimum sit nil sibi conscire. Hinc etiam maxime periculosi sunt labores animi, qui cum mærore fierent, & circa res mœstas versarentur, aut quos presso pede comitaretur terror, animum, & attentioni imparem reddens, & curis anxium, quales sunt plerique litigantium labores. Jungitur enim in hoc casu,

notante Sanctorio, *labori affectus*. Animi contra labores, sine animi affectu, sed cum ejus placiditate compositi, ut sunt legum, atque ethices, aut naturæ contemplatio, si ratione duce, & mediocritate auspice instituantur, & labori quies moderata jungatur, intèr saluberrima, ut menti, sic & corpori, exercitia recensenda sunt; etenim, licet aliud Celsus docuerit, labor ille sine animi violento affectu tonum addit partibus ad animal constituendum præcipue destinatis, & si concoctionibus officere visa est nimia animi attentio, & contentio, quod illa abstulit, restituit hilaritas, quæ labores illos excipit, sicque, ut verbis Ciceronis utar, studia illa litterarum *juventutem ornant*, *senectutem oblectant*.

Aliunde vero docet satis ars nostra salutaris, quæ sint concoctioni danda tempora, quæ concedenda quieti, & demum quid laboribus nostris impertiri licitum sit, ita ut eo demum recidat regula, quam sibi litterati proponere debent, ut nihil omnino nimium sectentur, cæteris neglectis, quod & ipsa indicat ratio.


Ventriculo scilicet pleno, & jam inchoata illa stomachali, si ita loqui fas est, fermentatione, languent omnes, quæ ad concoctionem abdominalem non conferunt, functiones, rubet facies, & torpor artus occupat, nec mens sibi constat, nec imaginatio valet sibi depi-

depicta objecta aliis conferre, imo urget sæpe sopor ineluctabilis; scilicet tota novo proventui, & prorsus a se alieno invigilat natura, eumque subigit, & in suam effingit formam. Quæ quidem phænomena, in sobriis, & fortibus ita levia, ut vix advertantur, post cœnas dubias, & in debilibus maximum vehementiæ gradum emetiuntur, ita ut verum figurent morbum, & sæpe febre quadam excipiantur. Hoc porro tempore omnis immodica animi attentio, quasi naturam ab instituto opere divertat, pessima est; coctionem tardare nata, imo & ipsa ad laborem difficultas, ejus inopportunum usum facile persuadet. Præterea, quæ legentibus, aut scriptitantibus familiaris est corporis positura, nocet stomacho, materiasque intra ventriculum cohibet, putrescendas, aut saltem vix mutari compotes. Hinc non tardatio coctionis solum, sed etiam varia chyli crudi vitia. Post scenam hanc primariam, nec ventriculo adeo tumescente, sæpe calor per totam diffusus machinam febris æmulus infirmos a labore avocat, sed pluribus, & mediocriter etiam robustis competere potest labor animi levis, ille saltem, qui memoriam exerceat, qui visa, audita, intellecta, conferat inter se, sed nondum capessat grandia, & in altos sese immergat scientiarum fontes inquirendos. Dissita ergo debent esse a concoctionis laboribus studia illa acria; quæ

quæ mentem totam sibi postulant, eamque ita occupant, ut a corpore vacare videatur. Ubi vero prima, & secunda coctio peractæ sunt, tunc demum salutare est menti opima præbere pabula, tunc licet litteris indulgere, animum a corpore semovere, & ad patrium, cœlestem scilicet, nitorem arduo conatu evehere, & attollere. Tunc ipsæ corporis functiones recreabuntur, & firmabuntur illo exercitii genere, pluribus etiam ad sanitatem constituendam necessario. Sæpe enim reperire est viros graves, & litterarum cultui deditos, qui, si laboribus suis caruerint, illico perversæ sanitatis mala experiuntur, deficiente alacritate illa, quæ optimæ sanitatis, ut signum est, sic & norma. Nec minus vero integra, & sarta servabitur alacritas illa, si sæpius instituta studia studiis aliis immutentur: est enim, ut proverbium ait græcum, *mutatio laboris, quietis quædam species*.

Ex his autem intelligitur cur Boerrhaavius maxime salutarem corporis eam conditionem vocet, quatenus a mente pendere illa potest, in qua speramus. Quod & ante illum illustris pronunciaverat Verulamius, quia scilicet spes non fallax animum veraci stimulo oblectat, nec tamen omnem eximit metum, aut prudentiam ablegat. Ad spem enim nati sumus, quæ, si nos in cæteris fallat, tamen melioris vitæ numquam defraudabit opinione, ut verissima, sic & dulcissima.

DE



DE ANIMI AFFECTIBUS.



SECTIO SEPTIMA.



Aphorismus I.

Inter affectus animi, ira, & perichariа, corpora efficiunt leviora; timor, & mœstitia, graviora. Cæteri vero affectus, ut his participantes, operantur.

Corpora efficiunt leviora illi animi affectus, qui actionem cordis, & arteriarum augent, motumque, & tonum intendunt. Qui contra stuporem nervis inducunt, motus etiam vitales tardant, atque liquorum cursum morantur; eos gravitatem facere necesse est. Quæ actionis contrarietas omnes inter se affectus animi discernit, atque discriminat.

II.

II.

Mœrore, & timore, perſpirat levius; ponderoſius vero relinquitur. Lætitia, & ira, utrumque.

Exhalat ſcilicet, quod levius eſt, & vaſorum ſtrictura coerceri nequit.

III.

Hinc timentes, & mœrentes facile obſtructiones, partium duritiem, & affectus hypochondriacos patiuntur.

IV.

Qui ira, vel lætitia afficiuntur, nullam in itinere defatigationem perſentiunt. Eorum enim corpora facile craſſum perſpirabile exhalant. Quod non accidit, dum mœrore, vel timore vexantur.

Tono ſcilicet fibrarum aucto, circuitu vividiori, promptiores, & faciliores fore motus, præſagire facile eſt. Hinc liberior perſpiratio, ut effectus non ut cauſa, in hocce animi ſtatu, ſpectanda.

V.

Perspirabile ponderoſum plus juſto retentum ad mœſtitiam, & timorem; leve vero ad lætitiam, vel iram diſponit.

Sci-

Scilicet diffidentiam parit corporis pondus; fiduciam contra inspirat alacritatis, & virium integritas.

VI.

Nihil magis reddit liberam perspirationem, quam animi consolatio.

VII.

Moestitia, & timore, facile membra humore referta durescunt.

VIII.

Moestitia, & timor impediunt perspirationem crassiorem excrementorum perspirabilium. Et perspiratio impedita a quacumque causa, mœstitiam, & timorem facit.

IX.

Moestitia, si diu duret, carnes frigidas facit: impedit enim, ne perspirabilium crassa, & frigida portio exhalet.

Tardato circuitu, alligataque activitate, functiones elanguescunt, & minus caloris producitur, hærent ergo in vasorum minimis mæandris crassa, minori propulsa impetu.

X.

Hinc febris, quæ post longam mœstitiam suboritur, sudores frigidos, & ut plurimum lethales molitur.

XI

XI.

Acrimonia perspirabilis retenti ob mœstitiam, commode aufertur a pericharia: funduntur enim humores suaves; & deinde a corpore pondus, & acrimonia tolluntur.

Contraria enim tolluntur contrariis, nisi tamen vitium a causa diversum, enatum fuerit.

XII.

Ira, & spes auferunt timorem; & lætitia, mœstitiam. Passio enim animi non medicinis, sed alia passione contraria superatur. Contraria enim; sub eodem genere.

XIII.

Non implicat, perspirabile melancholicorum retentum esse frigidum, & acre, seu calidum; tale est jecur hydropicorum febricitantium. Frigidum videlicet, respectu caloris naturalis; calidum respectu adventitii.

Acredo, cum inertia stagnantis humoris, melancholiam, seu atram bilem efficit ex omnibus, quos corporis putredo generare potest humoribus, pessimum. Pessimum enim est, stagnans liquidum spontanea corruptione colliquescere. Hanc enim putredinem nullæ in natura vires exsuperant. Sed contra, pessundat hæc omnia, & vires in ipsa sua arce proterit.

XIV

XIV.

Morbi a melancholia, & ab aere cœnoso, in hoc conveniunt, quod immediate oriuntur a crassitudine perspirabilium retentorum. Mœstitia enim intrinsecus impedit, ne exeat crassum; aer cœnosus, extrinsecus.

Aer cænosus, sive cum frigore humidus, fibras ad actionem inertes facit, & liquorum stagnationi favet. Idem efficit mœstitia, quæ spasmo stuporem inferente, circuitum alligat, & vires proterit. Hinc tot mœstis suspiria.

XV.

Qui eunt cubitum cum mœstitia, noctu minus perspirant; atque die sequenti corpora eorum conservantur solito ponderosiora.

XVI.

In meditationibus venereis cum mœstitia, excrementorum perspirabilium portio crassa retinetur, quæ, evolante tenuiore, adhuc crassior, & frigidior fit. Hæc si colligatur, fere invincibilem inducit frigiditatem in capite, palpitationem curatu difficilem in corde, vel aliis membris.

Amor mœstitiæ junctus, vera mœstitia est, assidua meditatione, & cupidine indefessa tristior facta. Hinc idem effectus est, ac mœroris. Nisi quod nervi tentigine venerea afficiantur, & quasi erigantur.

XVII.

XVII.

Melancholia duplici via ſuperatur, vel libera perſpiratione; vel aliqua continua animi conſolatione.

Libera perſpiratio, non niſi a ceſſatione cauſæ melancholiam inducentis, adeoque nullatenus ſine animi conſolatione revocari poteſt.

XVIII.

Si poſt mœſtitiam corpora fiant leviora, quam poſt lætitiam, id ex neceſſitate fit, vel ob minorem ciborum quantitatem; vel ob eorum qualitatem magis tranſpirabilem.

XIX.

Animi conſolatio, quacumque de cauſa fiat, aperit meatus, & largam perſpirationem facit.

XX.

Si poſt iram ſtatim ſequatur animi conſolatio, vel vice verſa, corpora, data paritate eorum, quæ ingeruntur, die ſequenti fiunt leviora, quam ſi ſola ira, vel lætitia perſeveraret.

Affectuum enim contrarietate factum fuit, ut hinc erethiſmus actionem prætermodum auxerit; illinc, reſtituta meatuum libertas vacuationem effecerit uberiorem.

XXI.

Sicut magna aliqua voluptas aufertur per magnam ſpermatis evacuationem; ſic omnes alii immoderati animi affectus per aliquam evacuationem perſpirabilium poſſunt diminui, & auferri.

Hinc

Hinc profuit aliquando vehementibus animi affectibus hæmorragia, aut sanguinis missio vasa laxans.

XXII.

TIMOR, & mœstitia, ut ex staticis colligitur, per evacuationem excrementorum crassiorum perspirabilium; ira, & perichariа per tenuium auferuntur.

Timor, & mœstitia coctionibus præsertim officiunt; imo & bilis secretionem intercipiunt. Unde effectus eorum nunquam melius, quam alvi bilioso fluxu, tolluntur. Quod de ira vehementi etiam aliquando verum.

XXIII.

SI quis sine causa sentiat se hilarem, id a magis aperta perspiratione fit; & ejus corpus die sequenti minoris ponderis invenitur.

XXIV.

LÆTITIA moderata, insensibiliter evacuat solum superfluum: immoderata, superfluum, & utile.

Vide sectiones præcedentes.

XXV.

MODERATA juvat coctrices facultates; natura enim, non gravata superfluo, longe melius suorum officiorum munera explet.

XXVI.

IMPROVISUM gaudium magis nocet, quam prævisum: non enim solum movet exhalationem excrementorum tertiæ coctionis, ve-

rum etiam spirituum vitalium. Prævisum vero, excrementorum tantum.

Tonus fibrarum moderate auctus actiones intendit, quas nimius supprimit. Hinc nimia lætitia magni Leibnitii neptem, actionibus omnibus continuo suppressis, extinxit.

XXVII.

Lætitia, & ira auferunt e corpore, quod ponderat, & levitat; mœstitia, & timor, solum quod levitat; quod ponderat vero, relinquitur.

Obscura hæc sententia ex præcedentibus intelligitur.

XXVIII.

Lætitia perseverans per multos dies somnum impedit, & vires dissolvit.

Nisi enim tono naturali succedat atonia naturalis soporifera, vires non reparantur, & concidunt.

XXIX.

Si quis post moderatam lætitiam sentiat se leviorem, id non oritur principaliter a totius evacuatione, sed a cordis, & cerebri; ubi quod evacuatur est mole minimum, & virtute maximum.

Theoria Sanctoriana, experimentis ejus non æquiparanda, vix aliquam meretur enodationem.

XXX.

Edulia, quæ aperiunt, gaudium; quæ vero impediunt perspirationem, mœstitiam movent.

Quæ

Quæ levia sunt alimenta, tenui conflata mucagine, coquuntur facile, nec vires gravant. Hinc corpus leve, & mens alacris. Quæ difficile coquuntur, ex partibus conflata vix divellendis, gravant, vires occupant, corpus minus agile reddunt, mentisque hebetant actionem. Hinc perspiratio male cocta, male morata, & sanitati labes inflicta.

XXXI.

Selinum, & cœtera aperientia, gaudium; legumina, carnes pingues, & cœtera incrassantia, & statim replentia meatuum cavitates, mœstitiam inducunt.

XXXII.

Si evacuentur cavitates meatuum, & deinde statim repleantur, recte dixit Hippocrates malas animi passiones fieri.

XXXIII.

Quibus prædominatur ira, exercitium immoderatum valde nocet: citissime enim illorum meatus fiunt cavi, & magno impetu replentur. Unde Hippocrates, in biliosis frictiones, & palæstram vituperat.

Hujus, & præcedentis Aphorismi sententiæ obscuræ sic intelligantur. In violentis animi pathematibus, statim fit ingens, & spirituum, & tenuium perspirabilium humorum vacuatio. Si eam statim exercitio intendere volueris, addetur vacuatio vacuationi, & malum malo. Si vero statim cibo vires reparare sine modo, & mensura contenderis, pondus nimium viri-

bus additur exhaustis. Unde mala nascetur coctio, & omnia ejus vitia.

XXXIV.

In otioso corpore, & animo, meatus non redduntur cavi, nec malæ animi passiones fiunt.

Otioso animo, plerumque corpus belle se habet. Sed otioso corpore, metuenda aut plethora, aut cacochymia.

XXXV.

Corpus quiescens magis perspirat, & minoris ponderis fit, si animo vehementer agitetur, quam si celerrime corpus moveatur, animo permanente otioso.

Desunt experimenta; nec gradus facile conferri possunt. Certe qui mentis exercitiis defatigantur, non adeo facile per quietem sanantur. Nam mentis exercitia nervos afficiunt; coctiones pessundant, si immoderata sint; & vitæ brevius efficiunt curriculum.

XXXVI.

Mutatio corporis diutius alterat animum, quam ipsum corpus.

XXXVII.

Passiones animi versantur circa internum subjectum, quod magis movet, quam movetur, quippe mole minimum, & virtute maximum, ad instar seminis; quodque vario modo dispositum, perspirationis, seu gravitatis, & levitatis est origo.

Scilicet, per animi affectus, quod tollitur,

&

& exhauritur e corpore, tenuissimum mole, ut & ενεργεια maximum est. Aufertur e corpore, quod perfectissime elaboratum fuit; simulque instrumenta ad eorum renovationem maxime necessaria, debilitantur. Unde debilitas, ab utraque causa.

XXXVIII.

CORPORA, quæ perspirant plus solito, non propter motum corporis, sed propter vehementem aliquem motum animi, majori cum difficultate ad solitam, & salubrem perspirationem reducuntur.

Non enim auferuntur tantum de corpore subtilissima; sed & eorum elementa vitiantur.

XXXIX.

MAGIS nocet nimius animi affectus, quam nimius corporis motus.

XL.

CORPUS marcesceret, & otio periret sine animi motu; sed non vice versa.

Vide XXXIV.

XLI.

MOTUS vehemens animi differt a motu vehementi corporis: hic, quiete, & somno; ille, nec quiete, nec somno cessat.

Vide XXXV.

XLII.

QUI vehementer ludo lucrari cupiunt, non ludant: quia si semper vicerint, ob penichariam ducunt noctes insomnes; & tandem coctorum perspirabilium exhalationem amittent.

XLIII.

XLIII.

Victoria moderata salubrior, quam gloriosa.

XLIV.

Studium, in affectuum animi mutatione diutius toleratur, quam sine affectu, vel affectuum mutatione: perspiratio enim fit moderatior, & salubrior.

Studium, id est animi contentio ad aliquod objectum, pro labore animi habendum est. Cui si jungatur affectus, agit animus, simul ac patitur. Unde duplex viribus exhauriendis causa concurrit. Et inde varietas Sanctorianorum dogmatum intelligitur.

XLV.

Studium absque omni affectu, vix horam perseverat, cum unico affectu, vix quatuor horas; cum affectuum mutatione, ut in ludo alearum accidit (in quo modo gaudium ob lucrum, modo mœstitia ob damnum experiuntur) die, noctuque perseverare potest.

XLVI.

In omni studio perennis tristitia bonam cordis constitutionem, evertit; & excessus lætitiæ somnum impedit. Omne enim nimium naturæ inimicum.

XLVII.

Nunc hilares, nunc mœsti, nunc iracundi, nunc timidi, perspirationem magis salutarem habent, quam qui unico, licet bono, semper gaudeant affectu.

XLVIII.

XLVIII.

LÆTITIA, diastolem, & systolem efficit faciliores; mœror, & mœstitia, difficiliores.

F I N I S.



TABULA:

EXPLANATIO TABULÆ,

Quæ extat in principio hujus Operis.

APHORISMI, qui continentur in libro Staticæ nostræ, aliquot jam per annos in lucem edito, veritate comprobantur ex usu istius sellæ.

Ex qua duo beneficia colligimus; primum quanta quotidie fiat corporis nostri perspiratio insensibilis, qua non recte perpensa vana ferme redditur Medicina; namque ob justo pauciorem, vel largiorem perspirationem omnes fere malæ valetudines fieri solent.

Secundum in hac sella sedendo facile inter comedendum animadvertimus, quando pervenimus ad debitam cibi, & potus quantitatem, ultra vel citra quam lædimur.

Sella accommodatur, sicuti in hac figura apparet, in qua statera ad tigna supra cænaculum in loco abdito est appensa, propter proceres, quia cubiculi gratiam tollit, ac propter indoctos, quibus omnia insolita videntur ridicula: Sella vero digiti interstitio a pavimento elevata manet stabilis, ne facile quassari possit.

Dum igitur ob cibum ingestum ad debitum pondus, & mensuram antea præscriptam devenimus, tunc steræ extrema pars paululum attollitur; ac una sella illico paululum descendit: Hic descensus est ille, qui statim admonet sedentem ad debitam ciborum quantitatem pervenisse.

Quænam vero ciborum salubrium quantitas, seu pondus unicuique conveniat, & quanta in singulis corporibus debeat esse perspiratio insensibilis, quæ per sellam commode perpenditur, *ex lib. nostro de Statica Medicina* quisque facile intelliget.

